NOCTES MANILIANAE

R. ELLIS

London

HENRY FROWDE

Oxford University Press Warehouse

Amen Corner, E.C.

NOCTES MANILIANAE

SIVE DISSERTATIONES

IN ASTRONOMICA MANILII

ACCEDVNT CONIECTVRAE IN GERMANICI ARATEA

SCRIPSIT

R. ELLIS

SOCIVS COLLEGII TRINITATIS
APVD OXONIENSES

Oxonii

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

MDCCCXCI

Oxford
PRINTED AT THE CLARENDON PRESS
BY HORACE HART, PRINTER TO THE UNIVERSITY

IACOBO IOSEPHO SYLVESTRO

MATHEMATICO ET POETAE EGREGIO

HAEC STVDIA IN MANILIVM

A COGNOMINE SYLVESTRO PONTIFICE ROMANO

ANTE DCCCC ANNOS

EX TENEBRIS REVOCATVM AC RESCRIPTVM

DEDICO CONSECROQVE

PRAEFATIO.

Postquam Paulus Thomasius, Professor Gandauensis, editis anno 1888 *Lucubrationibus* suis, noua fundamenta criseos posuerat Manilianae (nam in eo libello Gemblacensem codicem omnium antiquissimum primus integrum exhibuit cum editione Iacobi accuratissime conlatum), carmen quod rarius antea nec nisi per interualla attigeram, studioso animo ac uenante, ut ait Catullus, perlegi. Et uerum ut fatear, a nullo Romanorum, quorum supersunt poemata, plus credo mihi redundasse compendii, si non ad poesin et haec sublimiora ingenii, at certe ad eam rem in qua hodie maxime philologi uersamur, crisin dico quae ex palaeographia et codicum inquisitione pendeat. Nam Gemblacensis codex, ut nunc ex Thomasii demum libello cognouimus, ueterrimus ille quidem, utpote saec. xi scriptus, et integerrimus est omnium; ita tamen, ut si absit Vossianus is secundus Iacobi, cui scriba suus annum 1470 in fine addidit, uera manus poetae relicta sit in incerto, idque plurifariam.

Hinc ortum est hoc meum opusculum, quom uiderer occasionem nanctus clarissima in luce id proponendi quod toties in dubitationem uocari sentio, possintne ex uno codice ueterrimo, uel saltem ex duobus, omnia sic in scriptoris textu constitui uel potius restitui ut nihil debeatur recentioribus. In Manilio certe nec Gemblacensis, nec qui aetate inferior eo quinquaginta fere annis creditur Lipsiensis, sine Vossiano secundo satisfaciunt: quod quo manifestius pateret legentibus, integros plerumque

uersus exscripsi sic ut in Gemblacensi traditi sunt: deinde lectiones subnexui reliquorum codicum. Elucebit, nisi me fallit sententia, nec Iacobo credendum esse nec Becherto: nam ut Gemblacensis per se non sufficit ad omnia expediendum, sic Vossianus ille nec interpolatus debet haberi, et ex uno eo neque ex alio ullo corrigi possunt uitia quae Gemblacensem et reliquos eiusdem fere aetatis iam inueterata obsederunt.

Quod si per hunc libellum effecero ut magis quis intelligat antiquos codices ita praestare recentibus ut his tamen supersederi nequeat, sicut nusquam id clarius demonstrari reor, habebo quod opponam me incusantibus quasi astronomica temere sim adgressus homo nec astrologiae satis peritus nec astrorum. Nimirum id agebam ut poetae nec optimo nec tamen inter abiectos, ibi opitularer ubi scribarum incuria, non sua, laboraret; certiora postea ex doctioribus petiturus et peritioribus astronomiae. Et hoc est quod Firmico minus sim usus, quom intelligerem hunc de nouo edendum suscipi, plurima quae Firmico cum Manilii carmine communia essent occupata iam pridem a Scaligero. Atque utinam nobis Anglis contigisset ut uiro incomparabili, Hugoni A. I. Munro, non prius esset abrepta uita quam in Manilii Astronomica easdem contulisset et doctrinae uires et ingenii quibus aequalem nec habuit quemquam nec habiturus est. Sed tamen, quantum potui, curaui diligenter ne ultra propositi mei praescriptum euagarer, ea plerumque tractando quae nouam lucem adeptura uel ex Thomasii curis uel ex meo studio iudicarem.

Ceterum ne plus credar adrogasse Manilio quam aecum fuerat, liceat hic commemorare quod centum fere ante annos de GOETHIO[1] traditum accepimus. Is enim quom die quarto Septembris anni 1784 Hercyniis montibus (*Hartz*) iter faciens, cum familiari in id iugum adscendisset quod hodie appellatur *Brocken*, comitante semper serenissimo caelo (immer begleitet von dem hellsten Himmel), in librum qui inscripta gerebat

[1] Brief zu Frau von Stein no. 518 ed. Schöll 1885, quem locum monstrauit mihi amicus meus Cuthbertus Shields ex sociis Collegii Corporis Christi.

nomina ibi peregrinantium, suum quoque, cum die quo uenerat, rettulit adiecitque haec ex Manilio (II. 115, 116)

Quis caelum posset nisi caeli munere nosse,
Et reperire Deum nisi qui pars ipse Deorum est?

Videlicet recordatus est loci quo Manilius de arte loquens astrologorum redarguit negantes posse regi fata sideribus. Hunc igitur poeta unicus dignum habuit quem in memoria conditum, ubi liceret, expromeret, nos non ex obliuione diuturna uindicabimus, in lucemque ac diem iterum protrahemus?

Cogitaram de Manilii aetate et ingenio nonnulla exsequi: sed nec libellus hic amplificandus erat, et satis haec tractarunt alii, uelut Georgius A. Simcox in historia litterarum Latinarum et Lansonus in opusculo quod *de Manilio poeta* edidit Parisiis anno 1887[1].

Manilianis dissertationibus addidi nonnulla quae in Aratea Germanici commentatus fui. Quo quidem carmine ab anno usque 1873, quo primum ei legendo incubui, semper sum adeo delectatus, ut saepius ad id redirem, emendaturus, si possem, uitiosa quae librarii intulerant, non sustulerant critici. Non enim dubito dicere nec Ciceroni nec Auieno tam feliciter operam in Arato exprimendo quam Germanico successisse.

Oxonii die xxiii Ianuarii a. MDCCCXCI.

[1] Emendationum mearum pars iam anno 1886 in Diario Philologico Cantabrigiensi (xv. pp. 2, 3), pars anno 1890 (*Classical Review* for May) publici iuris facta est.

CONSPECTVS CODICVM.

Gembl. Olim monasterii Gemblacensis in Belgia, nunc Bruxellensis Bibliothecae Regiae, numero 10012 notatus. Foliis 1–100 Manilii Astronomica, reliquis Prisciani Grammatici Periegesin continet. Membranaceus est, saec. x exeunte uel xi ineunte scriptus (Bechertus *de M. Manilii emendandi ratione* p. 4, ubi est plenior codicis notitia: cf. P. Thomasii *Lucubrat. Manil.* pp. 13, 14). Totum codicem cum editione Fr. Iacobi contulit nuper Paulus Thomasius Professor Gandauensis; quae collatio edita est in fasciculo primo dissertationum eius Vniuersitatis anno 1888. Ipse codicem inspexi Bruxellis mense Aprili anni 1890.

Cus. Cusanus olim[1], nunc Bruxellensis 10699[2], membranaceus, saeculo xii scriptus secundum Oehlerum in praef. ed. Iacob p. ix. Inter multa alia habet Manilium fol. 107–122, binis columnis, scriptura minuta, atramento nonnunquam pallidiore, nonnunquam uiuido. Vtraque columna uersuum est 69 uel 70.

Ante u. 1 libri I titulum habet hunc: *Arati philosophi astro-*

[1] Videtur ex bibliotheca prouenisse quam Cusae in Mosellae dextra ripa, Treuirorum in territorio, non longe ab oppido *Bernkastel*, condidit Nicolaus Episcopus Brixiensis, idem Cardinalis, *Cusanus* ex natali uico cognominatus (1401–1464). Non est quidem inter codices eius bibliothecae quorum Catalogum edidit Franciscus Xauier Kraus in Serapeo (a. 1864, 1865): sed extare in bibliotheca Burgundica Bruxellis, quae eadem nunc est pars Bibliothecae Regiae, multos codices qui in Cusana Nicolai quondam fuerant, testatur Iosephus Klein *über ein Handschrift des Nicolaus von Cues* p. 3 (Berlin 1866).

[2] P. 214 Tom. I Catalogi Bibliothecae Regiae ducum Burgundiorum (Catalogue des MSS de la bibliothèque royale des ducs de Bourgogne, Bruxelles et Leipzig, 1842).

nomicon liber primus incipit Prelibatio. In fine lib. I spatium non est, sed continuantur uersus lib. II. Finis tamen lib. I notatur adposito F. In fine lib. II eadem, ut uidetur, manus in dextro margine adscripsit *lib. III.* Praeterea III. 1 littera initiali caret. Turbata sunt libri III finis, IV initium: libri V u. 1 magna H initiali ab ultimo u. libri IV separatus est. Hunc codicem Bruxellis ipse contuli, non tamen totum: dignusque mihi uidebatur qui de nouo totus excuteretur.

Lips. Lipsiensis 1465 Academicae Bibliothecae, membranaceus, foliorum 96, quinquaginta fere annis recentior Gemblacensi, Becherto iudice p. 10. Titulum habet ante lib. I eundem quem Cusanus. Accurate descriptus est ab eodem Becherto pp. 10, 11.

*Voss.*¹ Vossianus primus, nunc bibliothecae Leidensis 18 in octau., saeculi xv uel xvi Iacobo, xiv Becherto, xv mihi uisus. Post Manilium habet Hygini Astronomicon libros IV. Huius codicis extat in bibl. Bodleiana collatio, scripta satis antique, in marg. ed. Bononiensis per Vgonem Rugerium et Doninum Bertochum impressae a. 1474. Ea collatio signata est *.v.*

*Voss.*² Vossianus secundus, nunc Leidensis 3 in octau., chartaceus, scriptus anno post Christum natum 1470: sic enim testatus est scriba in calce lib. V *Deo gratias anno* 1470 *ianuario.* Hunc *Voss.*² Iacobus optimum omnium habuit: Bechertus tanquam interpolatum nec Gemblacensi nec Lipsiensi aequandum ratus est. Ego ut omnibus Gembl. potiorem, ita post Gembl. *Voss.*² ponendum arbitror: quo si careremus, multorum uersuum in obscuro esset uera lectio. Estque ea condicio codicis ut interpolatus nisi forte rarissime iudicari nequeat. Nam plerumque uerba sic inter se diuolsa, nonnunquam tam miris additamentis paene in barbaram speciem deturpata habet, ut a uetusto exemplari ductus et ad hoc simplicissime ac fidelissime conformatus haberi debeat.

Vtrumque Vossianum ipse contuli, primo Leidae mense Septembri a. 1889, post Oxonii quo liber missus est beneficio uirorum amplissimorum G. N. du Rieu et Scatonis G. de Vries. Praecipue uero in Voss.² legendo tot horas impendi, ut de nullo codice posse uidear loqui expressius.

o. Codex 66 Collegii Corporis Christi apud Oxonienses. Post Manilium habet Scholia in Ibin Ouidii, quae publici iuris feci in editione Ibidis quae ex typographeo nostro prodiit a.

1881. Scriptus uidetur saec. xv iam uergente, nec ad incorruptum exemplar, sed quod plurimis locis interpolatum esset. Insunt tamen nonnulla maioris pretii.

b. Bodleianus F. iv. 34, saec. xv chartaceus. In principio *L. I .M. Manlii poetae Astronomicon liber primus incipit feliciter Ad Octauianum Augustum.* In calce lib. V *FINIS Visus cum exemplari in quo mende erant non nulle.* Videtur olim fuisse Nic. Heinsii, cuius in uenditione librorum emptus est a. 1682[1].

Praeterea quattuor Vaticanos codices meo rogatu inspexit Ioannes Bollig, S. J., inter praefectos bibliothecae. Sunt autem

1. Vat. 3099 chart. saec. xvi, I et initium II continens.
2. Vat. 5160 chart. saec. xv.
3. Vrbinas 667 saec. xv.
4. Vrbinas 668 saec. xv.

Horum lectiones ad III. 614, 615 et IV. 804 excerptas idem Bolligius ad me misit.

[1] Nam Falconero Madan idem habetur qui in Catalogo Heinsii librorum ac codicum tum impresso cum uaenierunt, numeratus est 299, p. 86, partis II.

EDITIONES.

Regiomont. ‘Ex officina Iohannis de Regiomōte habitante in Nuremberga oppido Germanię celebratissimo.’
Impressa creditur a. 1472 (Brunet).

Neap. ‘Impressum neapuli per Iodocum hoensteyn.’
Circa a. 1475 (Brunet, Quaritch).

Bonincontr. ‘Laurentii . Bonincontrii . Miniatensis . In. C. Manilium . Comentum . Rome impressum . Anno domini . Millesimoquadringentesimooctuagesimoquarto . Sedente . Innocentio octauo . Pontifice maximo . Anno eius . primo . Die uero uigesimasexta . Mensis Octobris . Finit foeliciter.’ 1484.

Ald. ‘Venetiis cura, & diligentia Aldi Ro. Mense Octob. M.ID.’ Eodem uolumine insunt Firmici Mathesis, Aratea Germanici, Ciceronis, Auieni, Aratus graece cum Theonis in eum Scholiis, Procli Sphaera graece, et eadem latine Thoma Linacro Britanno interprete.

Romana a. 1510. ‘Marci Manilii Astronomicon ad Caesarem Augustum nouiter ac diligentissime emendatum.’ In calce ‘Marci Manilii mathematici Astronomicon finit feliciter. Impressum Romæ per magistrum Iacobum Mazochiū Ro. achademiæ Bibliopolam Anno Salutis M. d. x. Regnāte diuo Iulio Secundo Pont. Max. Anno eius VII.’
Editio optima eademque rarior. Exemplar meum olim Ingrami Bywater fuit. Insunt lectiones nonnullae scriptae in margine lib. II, de quibus disserui in Epimetro quod Noctibus adnexui.

Molin. Antonii Molinii Matisconensis (Macon) edita Lugduni in aedibus Ioannis Tornæsii a. 1551.

Scal. Iosephi Scaligeri ed. I. 1579. II. 1600. III. 1655.

Delph. Delphiniana Fayi, 1679. Accedunt Petri Danielis Huetii Animaduersiones ad Manilium et Scaligeri notas.

Sherburne. The Sphere of Marcus Manilius made an English Poem: with Annotations and an Astronomical Appendix. By Edward Sherburne Esquire. London 1675.

Creech. The five books of M. Manilius done into English verse by T. C. 1697.

Bentl. M. Manilii Astronomicon ex recensione et cum notis Richardi Bentleii. Londini 1739.

Huius edendi curam Bentleius patrueli demandauit.

Stoeber. Cura et studio M. Eliae Stoeberi. Argentorati 1767.

Pingraei. (Pingré) interpretatio Gallica cum notis. Paris 1786.

Valpiana secundum ed. Bentl. cum notis uariorum. Londini 1828.

Iacob. M. Manili Astronomicon Libri Quinque. Recensuit Fridericus Iacob. Accedit Index et diagrammata astrologica. Berolini 1846.

Vsus est Iacobus codicibus Gembl. Lips. Cus. Vossiano utroque, sed uix satis diligenter, si ad huius saeculi curam liber exigatur. Est tamen sola editio quae adparatu critico perpetuo instructa usibus sit idonea hodie legentium; itaque uersus carminis Maniliani semper ab hac et ego et Thomasius in *Lucubrationibus Manilianis* citauimus.

DISSERTATIONES IN MANILIVM.

Carrionis Antiquarum Lectionum Commentarii iii. Antverpiae 1576.
Geuartii Electorum Libri iii. Lutetiae Parisiorum 1619.
Salmasius de Annis Climactericis. Lugd. Bat. 1648.
Bullialdi Obseruationes, additae sunt ed. iii Scaligeranae, 1655.
Reinesii Animaduersiones breues ad lib. V Manilii, impressae post Bullialdi Obseruationes in ed. iii Scaligeri. Scriptas tamen esse multo ante 1655 testatur Boeclerus in Praefatione quam ei editioni addidit.
Tristani, Ioan., Commentarii Historici (*Commentaires Historiques*). Paris 1657.
Gronouii, Io. Frid., Obseruationum libri tres. Lugd. Bat. 1662.
Heringae, Adriani, Obseruationum Criticarum liber singularis. Leouardiae 1749.
D'Oruillii, Iac. Phil., Chariton, Amstelod. 1750, ed. ii. 1783.
Lachmanni, C., de aetate Manilii. Gottingae 1815 (Kleinere Schriften ii. 42-45).
Hauptii, M., Opusc. ii. 341-344, iii. 106, 473, 577, 583. 1878.
Breiteri, de emendatione Manilii. Hamm 1854.
— zu Manilius in Fleckeiseni Annal. Philol. anni 1889.
Becherti, Maluini, de M. Manilii emendandi ratione, in T. i. dissertationum Lipsiensium (*Leipziger Studien* i. pp. 3-61).
Freieri, de M. Manilii quae feruntur Astronomicon aetate. Gottingae 1880.
Woltjeri, de Manilio poeta. Groningae 1881.
Crameri, Adolfi, de Manilii qui dicitur elocutione, 1882.
der Infinitiv bei Manilius. Inter commentationes in honorem Studemundi, Argentorati 1889.
Lansoni, de Manilio poeta eiusque ingenio. Paris 1887.
Thomasii, Pauli, Lucubrationes Manilianae. Gandaui 1888.

Rossbergii, Konradi, zu Manilius in Fleckeiseni Annal. Philol. a. 1889.

Kraemeri, Augusti, de Manilii qui fertur Astronomicis. Marburgi 1890.

Praeterea adhibui librum uix satis celebrem nostratis Geo. Cornewall Lewis, *Astronomy of the Ancients* London 1862, et diatribam Haebleri *Astrologie in Alterthum* Zwickau 1879.

NOCTES MANILIANAE.

LIB. I.

I. 25, 26 sic extant in Gembl. teste THOMASIO

Quem primum interius lucuit cognoscere terris
uel e
Munera caelestum.

25 internis *Vossiani.* licuit *plerique.*

Signum interrogandi post *caelestum* Scaliger Bentleius Iacobus posuerunt. Nuper uero Thomasius, adsentiente ex parte Kramero de infinitiuo ap. Manilium p. 66, negauit interrogationi hic locum esse, uerba sic interpretans: *Quem* (mundum) *licuit terris* siue hominibus *interius cognoscere primum munere caelestum*, ut omne sententiae pondus inesset uerbis *munere caelestum.*

Vellem hic liceret mihi amici sententiam amplecti. Sed nescio quomodo languent sic uerba post magnificum illud exordium 20–24

Bina mihi positis lucent altaria flammis.
Ad duo templa precor, duplici circumdatus aestu
Carminis et rerum; certa cum lege canentem
Mundus et immenso uatem circumstrepit orbe,
Vixque soluta suis immittit uerba figuris,

fitque quasi descensus orationis paene ex praecipiti. Manifesto 25, 26 ad ea referuntur quae post subnexuit 30, 31

Tu princeps auctorque sacri, Cyllenie, tanti.
Per *te* iam caelum *interius* iam sidera nota
Sublimes aperire uias

Quod enim est illud *tantum sacrum?* ipse dicit; caeli interioris ac siderum cognitio. Eadem igitur haec in 25, 26 requiruntur. Itaque scripserim

Quem primum interius licuit cognoscere terris
Munera caelestum?

ut *terris* datiuus ex *Munera caelestum* pendeat. Quis fuit ille cui *primum licuit interius cognoscere munera caelestum* a caelestibus data *terris?* *Interius* significat ita cognoscere ut in ipsorum siderum οὐσίαν penetret et eam quasi intus sit perspiciat.

Structuram accusatiui *Quem licuit cognoscere* satis tutantur loci quales sunt Ter. Heaut. iv. 2. 5 *triumpho si licet me latere tecto abscedere.*

An uerba sic potius struenda? Quis ut primum interius cognosceret munera caelestum licuit terris? h. e. quem primum ut haberent scrutatorem siderei muneris data terris est potestas?

I. 59, 60

Postquam omnis caeli species redeuntibus astris
Praecepta in proprias sedes.

Praecepta, quod habent codices, Iacobus interpretatur 'ante capta' quasi ante capienda esset exemplorum uis quam ad artem certam ueniretur. Mihi uidetur potius significari per breuiloquentiam 'praeceptis explicata et in proprias sedes attributa.' [*Praesepta* Mauricius Schmidt Philolog. viii. 750.]

I. 66–72

Nam rudis ante illos nullo discrimine uita
In speciem conuersa operum ratione carebat
Et stupefacta nouo pendebat lumine mundi,
Tum uelut amissis maerens, tum laeta renatis
Sideribus, uariosque dies incertaque noctis
Tempora nec similis umbras iam sole regresso
Iam propiore suis poterant discernere causis.

72 suis impar *Bentleius.*

'Constructio est, *Rudis aetas operum ratione carebat*, maerens

amissis sideribus, laeta *renatis*, impar *uarios dies discernere suis causis*,' Bentl. Sed *impar* in *poterant* cessisse quis credat Bentleio? Melius palaeographiae consultum existimo, si *nec similis* in *non similis* refingatur, ut *non* ad *poterant* referatur, non ad *similis*, hac significatione: non poterant suis causis discernere dierum et noctium uariationes, nec cur similes noctes diebus fierent sub aequinoctio, cum sol modo autumni tempore regressum faceret et recessum, modo ueris aduentu propior admotus accessum. *Non* factum est *nec* II. 882.

I. 84

In commune bonum †commentum laeta dederunt.

Fortasse *coniunctim*: nam *commune bonum* ex Lucretio traxit v. 958. [*Commenti* Hauptius.]

I. 95–98 sic extant in Gembl.

Omnia conando docilis sollertia uicit
Nec prius imposuit rebus finemque manumque
Quam coelum (*sic*) ascendit ratio cepitque profundam
Naturam rerum causis uiditque quod usquam est.

97 profundam *etiam Lipsiensis, teste Iacobo* profundum *Vossiani et Cus.* 98 rerumque cauß *Voss.*[2] rerumque causis *Voss.*[1]

An corrigendum erat

cepitque profundam
Naturam rerumque chaos

uel

profundum Naturae rerumque chaos? Cf. 125 *Seu permixta chaos rerum primordia quondam Discreuit partu.*

I. 155, 156

Tertia sors undas strauit fluctusque natantes
Aequora perfudit toto nascentia ponto,

sic Gembl. Emendo

fluctuque natante
Aequora perfudit toto nascentia ponto,

h. e. tertia sors (aquae) strauit undas fecitque ut aequora ubicumque nascebantur, superfusos sibi fluctus haberent qui non plani iacerent, sed aestuantes huc illuc ferrentur. Nam *aequora* sunt plana superficies maris super quam fluctus natant.

I. 162, 3 sic traditi sunt in Gembl.

Quoque magis puras humor secessit in undas
Et siccata magis struxerunt aequora terram.

Saccata Munro ad Lucr. v. 487 *Tam magis expressus salsus de corpore sudor Augebat mare manando camposque natantis*, qui etiam *struxerunt* potius quam *strinxerunt*, quod habent Vossiani, scribendum censebat.

I. 202, 3

Est igitur tellus mediam sortita cauernam
Aeris et toto pariter sublata profundo.

Pro *et* quod seruauit Iacobus, Bentleius ediderat *e*. Scripserim *ex* ut etiam I. 428 *ex rupta matre creatos* ubi codices omnes *et*, Bentleius *e* dedit, 864 *Imbribus ex mediis* (Bentl. *e*).

I. 211–214 sic extant in Gembl.

Haec aeterna manet diuisque simillima forma,
Cui neque principium est usquam, nec finis in ipso
Sed similis toto remanet perque omnia par est.
Sic stellis glomerata manent mundumque figurant.

Non est cur *tellus* hic pro *stellis* scribatur. Postquam enim dixit terrae rotundam speciem esse, idem ex uniuersa natura confirmat (206–208) *Haec est naturae facies, sic mundus et ipse In conuexa uolans teretes facit esse figuras Stellarum*: dein solem lunamque addit (208–210): postremo ex sphaerae figura argumentum ducit, quae cum sine principio ac fine sit, diuis simillima ac diuina habeatur. Inde redit ad stellas, quae, tamquam diuinae, glomerabilem formam habent, et in mundi speciem figurantur. Hoc enim uult Manilius, non quod Iacobus statuit, tellurem suam figuram caelo imponere. Itaque pro *manent figurant* legendum reor *manet figurat;* quod et Iacobus fecit, in illo tamen deceptus quod *stellis* non retinuerit.

I. 215–217

Idcirco terris non omnibus omnia signa
Conspicimus: nusquam inuenies fulgere Canopum
Donec Niliacas per pontum ueneris oras.

Vitruu. ix. 7. 4 *Itaque eorum figurationes propter obstantiam terrae non sunt notae, huius autem rei index est stella Canopi, quae his*

regionibus est ignota, renuntiant autem negotiatores, qui ad extremas Aegypti regiones proximasque ultimis finibus terrae terminationes fuerunt.

I. 245

Nos in nocte sumus somnosque in membra locamus.

Nimis mira locutio. Scripserim *uocamus*. Cf. Catull. xlvii. 7 Et sic ante me Coningto Verg. i. p. 416 ed.[4]

I. 271, 2

Tum uenit angusto Capricornus sidere flexus.
Post hunc inflexam defundit Aquarius urnam.

Quamquam participiorum non desunt exempla continuis uersibus sic iteratorum ut in priore alia praepositio, in sequente alia reperiatur, uelut in Arateis Germanici 204, 205 Breysigius edidit

Ignea substricta lucet qua zonula palla
Sed poenae facies remanet districtaque pandit
Bracchia.

languet illud *flexus*, *inflexam*, ac uix Manilianum uidetur. Ac nescio an errarit Iacobus, qui *flexus* ex piscis curuatura, in quam Capricornus desinit, tueatur. Credo scripsisse Manilium *plexus*, cum Capricornus ex duplici natura capri et piscis compositus sit. In Ciceronis Arateis recte Lemairius *inplexus* restituit 310, ubi codices habent *inflexus* (Bährens P. L. M. i. p. 20).

I. 275–278

ad Arctos,
Omnia quae summo despectant sidera mundo,
Nec norunt obitus, unoque in uertice tantum
In diuersa situ caelumque et sidera torquent.

Situ codd. omnes, uix tamen recte, etsi poterat ad *diuersa* referri, ut per *in situ diuersa* significaretur in diuersas partes. Non credo Manilium tam expressis uerbis tam nihil declarasse, legendumque puto *situs*, 'on opposite sides of their position.' Respexit uidelicet duas Arctos, quae in caelo sic sunt locatae ut si alteram spectes, altera contraria omnia habeat: inuersis mutuo corporibus, ut utraque caudam alterius sequi uideatur.

I. 331–336 sic extant in Gembl.

Serpentem magnis Ophiucus nomine signis
Diuidit atque etiam toto ingens corpore corpus
uel at
Explicet ct (?) nodos sinuataque terga per orbes
Respicit ille tamen molli ceruice reflexus
Et dedit effusis per laxa uolumina palmis
Semper erit paribus bellum quia uiribus aequant.

331 Serpentem Graiis—dictus *Bentl.* *an* Magnes—dictus? 332 et iam toto urgentem (ingentem *Cus. Voss.*[1]) *Cus. et Vossiani* et toto mergentem *bo* atque etiam toto ingens *Bentleius* atque ingens ingenti *Doruillius ad Charit. p.* 213. 333 Explicat *Vossiani et o* Explicet *b* Expliciet *Cusanus* ut *codices praeter Gembl.* 334 reflexsus *Cus.* 335 Et dedit *omnes* expedit *Scaliger* Et redit *Bentleius* Exsilit *Iacobus* *num* Exserit? elusis *Bentl.* 336 *Num* separ it? *an* separe erit? *ut* separe *aduerbium sit:* cf. dispare *ap. Petron. S.* 49. *At* Semper erit *recurrit* I. 599.

Locus ex difficillimis, nec ab ullo sanatus. Sed conferendi erant uersus Ciceronis de N. D. ii. 42. 109

Quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graii.
Hic pressu duplici palmarum continet Anguem
Atque eius ipse manet religatus corpore torto.
Namque uirum medium serpens sub pectore cingit.
Ille tamen nitens grauiter uestigia ponit,
Atque oculos urguet pedibus pectusque Nepai.

Hos respexisse mihi Manilius uidetur; commune enim habent cum eo *ille tamen*, quamuis alio uerba Manilius detorserit, et ad Anguem, non ad Ophiuchum retulerit. Sed tamen confirmatur hinc sententia eorum qui post *Respicit* distinctionem, non post *orbes* fecerunt: unde Bentleii emendatio *Et redit*, alioqui fortasse placitura, abiudicanda est. Sed nec Doruillii coniectura *ingens ingenti* multum habet a codicibus praesidii: uideturque mihi recte Iacobus id edidisse quod habet Vossianus[2] *et iam toto urgentem corpore corpus*, cum aegre satis commodi sensus eliciatur ex Gembl. *atque etiam toto ingens c. corpus*, nihili autem sit illud *et toto mergentem c. c.* Sequens uersus tribus modis scribi potuit

Explicat et, *Explicat ut*, *Explicet ut*. Sed cum *ut* in omnibus MSS praeter Gembl. extet, ne Gemblacensis quidem *et* certo praestet (nam *ct* potius est uisum Thomasio), inter *Explicet ut*, *Explicat ut* diiudicandum erit. Iam si *explicet ut* scripseris, fingendus erit Ophiuchus Anguem post terga sua conuolutum respicere, ut nodos spirasque manibus adhibitis explicet. Sin *explicat ut* praetuleris, in dubio erit *urgentem* ad *explicat* an ad *Respicit* trahi debeat: quod cum uitaturum poetam fuisse credibile sit, equidem priorem et lectionem et explicationem praefero. Mox in 335 *Et dedit* aut *Expedit*, ut Scaligero uisum est, aut *Exserit* poterat esse; h.e. 'reicit ex se explicantem, liberum se facit explicante Ophiucho': quemadmodum *uincula exserere* est apud Colum. viii. 8.

Ceterum u. 331 si uerum est *dictus* quod Bentleius pro *signis* edidit, *magnis* in *Magnes* refinxerim, de Triopa illo Thessalo interpretans quem nonnulli Ophiuchon esse dixerunt, Hygin. P. A. ii. 14.

Itaque totus locus sic euadet,

Serpentem Magn*es* Ophiuchus nomine *d*ic*tus*
Diuidit, et iam toto urgentem corpore corpus,
Explicet ut nodos sinuataque terga per orbes,
Respicit: ille tamen tereti ceruice reflexus
Exserit, effusis per laxa uolumina palmis.

I. 351–354 sic scripti sunt in Gembl. et Cus.

succedit iniquo
Diuisus spatio quod tertia lampada dispar
Conspicitur paribus deltoton nomine sidus
Ex simili dictum.

352 Diuisum *b* Diuisum *Regiom.* lampade *Voss.*[2] terna lampade *ed. Romana a.* 1510 linea *Bentleius.*

Non spernenda est lectio ed. Romanae *quod terna lampade dispar Conspicitur paribus*, obscurior illa quidem, sed fortasse non abhorrens a Manilio. Deltoton ex Δ siue triangulo dictum, aequis lateribus duobus, uno breuiore est (Hygin. P. A. iii. 18). Itaque *una* lampade dispar est paribus *duabus* (*terna* = 1 + 2). Arat. 234 τὸ δ' ἐπὶ τρισὶν ἐστάθμηται Δέλτωτον πλευρῇσιν, ἰσαιομένῃσιν

ἐοικὸς Ἀμφοτέρῃς· ἡ δ' οὔτι τόση, μάλα δ' ἐστὶν ἑτοίμη Εὑρέσθαι· περὶ γὰρ πολέων εὐάστερός ἐστιν. Illud tamen non omittendum est, quod *lampada* nominatiuus bis extat in Heptateucho quem a Cardinali Pitra editum in Spicilegio Solesmensi nuper emendauit Ioannes E. B. Mayor. Exod. 303 *quos solis lampada tostat*. 605 *quos lumine trino Feruidiore coma torrebat lampada solis*. Sed hoc uocabulum quamuis nullam dubitationem mouerit Rutgersio Var. Lect. iii. 9, Manilius uix uidetur usurpaturus fuisse.

An est locus totus interpolatus, nec solum illa quae tanquam spuria proscripsit Bentleius 350, 1 *quam Perseus armis Eripit et sociat sibi**, *cui?* Certe non parum turbationis haec pars carminis experta est.

I. 354–358 sic exhibent codices

Cepheusque et Cassiepia
(*secuntur* 399–442, *tum*)
In poenas signata suas, iuxtaque relictam
Andromedam, uastos metuentem Piscis hiatus,
Expositam ponto deflet scopulisque reuinctam
Ni ueterem Perseus caelo quoque seruet amorem.

354 Casiepia *Gembl.* *Post* 354 *secuntur in codd.* 399–442. *Sed in marg. Gemblacensis manus rec. xvi uel xvii saec. addidit* In poenas signata suas. 356 pistis *Voss*[2]. pristis *Bentl.* 358 In *Gembl. et Cus.* Ni *Vossiani* feruet (uel seruet) *Gembl.*

Hunc locum sanum esse quis credat? Puto interpolatoris esse 357, ceteros sic primo scriptos

Cepheusque et Cassiepia
In poenas signata suas, iuxtaque relicta
Andromede, uastos metuens iam Piscis hiatus,
Ni ueterem Perseus caelo quoque seruet amorem.

Andromede *metuens iam* merito dicenda fuit, quae in eo erat ut a Pisce uoraretur, nisi adueniens Perseus gladio eum occupasset. Contrario uitio in Ciceronis Arateis 124 *orientem* in *oriens*

* Hieronymus in Chron. Euseb. ad Olymp. 258. 1 (p. 181 Schöne) *Nouatus presbyter Cypriani Romam ueniens Nouatianum et ceteros confessores* s i b i s o c i a t, *eo quod Cornelius paenitentes apostatas recepisset.*

iam deprauarunt librarii. *Ceu sit planctura relictam Andromedam* Germ. Arat. 199.

I. 361–364 sic extant in Gembl.

Tum uicina ferens nexo uestigia tauro
Eniochus studio mundumque et nomen adeptus
Quem primo curru uolitantem iupiter alto
Quari iugis conspexit equis caeloque sacrauit.

361 nexo *Cus. et Vossiani cum o* nixo *Scal.* flexo *ed. Rom.* 1510. 363 primum *b o* alto *codices num* alte ? 364 Quadriiugis *plerique.*

Optime Scaliger *nixo* edidit, citans Arat. 166 Πὰρ ποσὶ δ' Ἡνιόχου κεραὸν πεπτηότα Ταῦρον Μαίεσθαι: quem locum Scholiasta sic explicat p. 66 Bekker. πεπτηότα διὰ τὸ ποιὸν κατάστημα, ὥσπερ γὰρ ὀκλάσας ἐστίν. Sed u. 366 haereo in coniunctis *primo curru alto.* Fuitne *alte*, ad *uolitantem* referendum ? nam teste Scholiasta Arateorum Germanici *primus currum inter homines docuit equis albis iungere et solis quadrigae similem facere primumque Panathenaea constituisse . . . dicitur.* Certe *uolitantem alte* commode de eo potuit dici qui *primus Athenis pompam induxit*, quae uerba sunt alterius Scholiastae Germanici Arateorum (p. 133 Breysig).

I. 412

tum nobilis Argo
In caelum subducta mari quod prima cucurrit
Emeritum magnis mundum tenet acta procellis.

Suspicor pro *acta* scribendum esse *apta* h. e. adepta : sic 821 *Acta alimenta* pro *Apta* est in Gemblacensi, v. 448 *Materies acta* in omnibus.

I. 424–429 sic extant in Gembl.

cum surgere terram
Cerneret et uerti naturam crederet omnem
Montibus atque aliis aggestos crescere montes
Et tam uicinos fugientia sydera colles
Arma importantes et rupta matre creatos
Discordes uultu permixtaque corpora partus.

426 alios *Vossiani. fort.* altis *Sen. Ag.* 335 Vel cum montes montibus altis Superimpositi struxere gradus Trucibus monstris.

427 colles *Cus. et Vossiani* tollis *o, unde* tolli *fortasse scribendum est.*

Vu. 428, 9 Bentleius spurios habuit, habentque sane nescio quid scabri ut leguntur in Gembl., etsi iniuria huic imputatur *coactos* pro *creatos*. Sed est locus hic ex eis qui ope aliorum codicum possint sic in melius refingi, ut Manilio, non optimo poeta, sint saltem non indigni. Primum enim quod praestat Gembl. *aliis*, non debet cedere lectioni Cusani et Voss.[2] *alios;* planius hoc, illud quaesitius. Deinde *colles* quidem extat in Gembl. et plerisque; sed habet codex Collegii Corporis Christi *tollis*, unde emendo *tolli*. Mox *et rupta* uidetur corruptum pro *ex rupta*, cuius deprauationis alia iam exempla uidimus. Postremo, ut ad id ueniam quod est in his uersibus pessimum, satis Manilio consulueris si pro *uultu* scripseris *uultum* quod Stoeberus testatur in codice Lipsiensi adscriptum extare.

Ex his apparet non recipiendam esse Bentleii emendationem *uicinas—moles:* quamquam ipse non dubitauit huic sic insistere ut causam inde duceret uu. 428, 9 impugnandi. Qui si spurii sunt, ut possunt esse, satis ex se habent cur damnentur; neque ad id demonstrandum adhibenda erat incerta et a uero abhorrens emendatio Bentleii. Illud tamen censeo, si interpolati sint, orationem praeter solitum abruptam et praecisam fuisse.

Loci, ut a me refictus est, haec erit structura: *cum cerneret montibus aggestos crescere montes, et* (*cerneret*) *sidera fugientia tolli tam uicinos* (*gigantes*) *creatos ex rupta matre, partus discordes uultum permixtaque corpora.* In quibus *fugientia tolli tam uicinos* est nolentia tam prope extolli, structura cum infinitiuo passiui, quales sed in actiuo multae citantur apud Draegerum Hist. Synt. ii. p. 323.

I. 466

Linea designat species, atque ignibus ignes
Respondent, media extremis atque ultima summis
Creduntur; satis est si se non omnia celant.

mediae *Gembl.* caelant *Gembl.*

Vult stellas lineatim tantum et ἐν τύπῳ formas rerum, ferarum uolucrum hominum, repraesentare: ab extremis media, a

summis infima argui; hoc enim est *media extremis credere, ultima summis.* Velut extrema cum uidemus Centauri, his uisis sic credimus ut medias etiam partes in Centauri figura expleamus. Clarius tamen sensum explices si *infima* scribas. Bentleianum *Redduntur* non uideo cur recipiatur.

I. 515–517

Omnia mortali mutantur lege creata
Nec se cognoscunt terrae uertentibus annis
Exutas uariam faciem per saecula gentes.

Ita Gembl. cum ceteris, nisi quod in Lipsiensi prima littera uocabuli (*E*)*xutas* omissa est. Et cur non recte sic locum traditum existimes? Sententia est *terrae* siue terrarum partes diuersae *non se cognoscunt* utpote cum in gentes mutatae sint quae uariam faciem exuerint per saecula. 'The earth does not recognize itself to be the component races which have lost and changed their features from age to age.'

I. 548, 9

Summum igitur caeli bis bina refugit ab imo
Astra bis senis ut sit pars tertia signis.

Astra Gemblacensis cum Cusano: *astro* Vossiani duo. Verum uidit Bentleius cum illud praeferret, crederetque excidisse *e*, modo *bis e*, non *e bis* posuisset.

I. 552–556

Hinc igitur quodcunque supra te suspicis ipse
Qua per inane meant oculi quaque ire recusant
Binis aequandum est signis. sex tanta rotundae
Efficiunt orbem zonae, qua signa feruntur
Bis sex aequali spatio texentia caelum.

554 sextante *o*.

Verum credo id quod in *o* est *sextante.* Nam in hoc Manilius insistit, ut quod caeli spatium supra te est (hoc est, ut uerbis utar Pingraei, spatium capiti tuo uerticaliter imminens) *binis* signis aecum habeatur: hoc sic persequitur ut aliis uerbis idem dicat, more suo: 'bina dico, quia xii signa in 2 × 6 distribuuntur et sic signiferum efficiunt.' Nam *sextante* quae est sexta pars assis siue xii unciarum, *duo* uult intelligi. Itaque *efficiunt* pro

subiecto habebit id quod ex *signis* suppletur, 'it is by multiples of 2 (2 × 6 = 12) that the Zodiac is made up.' Hanc interpretationem confirmant uerba u. 556 *Bis sex*, redeunte semper poeta ad id quod in mente habet, numerum binarium, cumque hoc coniunctum, ut in Zodiaco, senarium.

I. 564, 5

Circulus a summo nascentem uertice mundum
Permeat Artophilaca petens per terga draconis.

565 patens *o*. patens (e) *b*.

Spuria haec esse nec Maniliana demonstrat *Artophilaca* producta penultima. Sed tamen ut ab interpolatore profecta sunt, sic credo scribenda esse

Circulus a summo nascentem uertice mun*di*
Permeat Arctophylaca p*a*tens per terga Draconis.

I. 599, 600

Quandoquidem sexti quo totus uoluitur orbis
Fila trahunt alti cursum comitantia caeli.

Sic Gembl. Ceteri codices sic uariant

599 sexti *etiam Lipsiensis* sexto *Vossiani ambo, b o, et Cusanus*, texto *Scaliger* textu *Fayus* secti qua *Bentleius* texti *Iacobus*. 600 circum *codices praeter Gembl. et Cus.* curcum *Cus.*

Sexti siue *sexto* corruptum esse ex *texti* siue *texto* iam Scaliger intellexit, comparato 556 (*signa*) *Bis sex aequali spatio texentia caelum.* Et adstipulatur Iacobus, cum *fila* quoque ad eundem tropum referatur. Non hic audiendus est Bentleius locum bis corrumpens, nam nec *secti* nec *qua* uerum potest esse. Aperte Manilius duas res hic significauit, (1) circulos eadem textura et quasi filo esse quo orbis totius caeli, (2) hos caeli orbem comitari et eandem cum caelo conuersionem habere. Sed in eo scrupulus manet, *texti* an *texto* reponi debeat. Prius ita solum retineri possit si ex *texti* ad *quo* suppleas id quod intelligitur *texto*. Durius id, ne dicam uetitum Manilio. Itaque hunc quoque locum eis adicio quo uerum Gembl. non seruauit, seruarunt reliqui codices: *texto* eodem *quo totus* est *orbis* qui uoluitur etiam circuli *fila trahunt:* 'they are formed of the same texture as

that with which the whole sphere revolves and trace an outline which follows the circle of the high heaven.'

In 600 miror in uno Gembl. *cursum* extare: qui cum uitium traxerit in 599, potuit etiam hic aberrare a uero. Certe *circum caeli* commode dicturus erat ratione habita ceterorum circulorum, sicut Macrobius de Horizonte loquens dixit S. S. i. 15. 17 *Horizon est uelut quodam circo designatus terminus caeli*, et ib. 19 *horizontis circus*, et in uniuersum de circulis ib. *Haec de circis omnibus quibus caelum cingitur dicta sufficiunt.* Quid quod in loco Ciceronis de N. D. ii. 18. 47 *cumque duae formae praestantes sint, ex solidis globus, ex planis autem circulus aut orbis qui* κύκλος *Graece dicitur* Nonius 432 *circus* tradidit; quodque idem uocabulum *circus* saepius recurrit in Ciceronis Arateis e.g. 266, 268, 298 *ille autem claro quartus cum lumine circus.* Itaque ne hic quidem Voss.[2] desero: nam *circum caeli* dixit κύκλον οὐρανοῦ. Mire in Cusano *curcum* scriptum est. An hoc ex *circum*, ex *curcum* uero profluxit *cursum?*

I. 631, 2

> Atque haec aeternam fixerunt tempora sedem
> Immotis per signa modis statione perenni.

ęternum *Cus.* aeterna *o.*

modis Iacobus dictum ratus est ex Lucretii more, nullo tamen allato exemplo. Habet quidem Lucretius *modis miris* i. 124, *miserisque modis* iii. 507, *morigeris modis* iv. 1277, et quod saepius iteratum est *multa modis multis.* Sed parum hinc praesidii habet uersus Manilii. Nam quod Lucr. vi. 453 *AB* praestant *modis quae possint indupedita Exiguis tamen inter se compressa teneri*, Lachmanni coniectura *moris* certa uisa est Munroni. Idem uocabulum ipse Manilio restitueram: nec quicquam muto.

I. 633–641

> Hos uolucres fecere duos namque alter ab ipsa
> Consurgens Helice medium praecidit olimpum
> Discernitque diem sextamque examinat horam
> Et paribus spatiis occasus cernit et ortus
> Hic mutat per signa uices seu si quis eoos

Seu petit hesperios supra se circinat orbem
Verticibus super astantem.

634 praecidit *etiam Cus.* procidit *Vossiani ambo* 635 hoq *Voss.*[2] *quo compendio siue* horis *siue* horum *indicari poterat* 637 mutat *etiam Lipsiensis* mutaT *Cus.* mutans *b*, nutans *Voss.*[1], astans *Voss.*[2] *quod fortasse fuit* arquans *siue arcum faciens, etiamsi id uocabulum latinitas respuit.* Hinc mutans *Iacobus* seu *codices omnes* ceu *ed. Molinii* nam seu quis *Bentleius.*

Duos dicit circulos Meridianum et Horizonta: *alter* est Meridianus. Ad rem quadrat optime Macrob. S. S. i. 15. 16 *Meridianus est enim quem sol cum super hominum uerticem uenerit, ipsum diem medium efficiendo designat: et quia globositas terrae habitationes omnium aequales sibi esse non patitur, non eadem pars caeli omnium uerticem despicit: et ideo unus omnibus meridianus esse non poterit, sed singulis gentibus super uerticem suum proprius meridianus efficitur.*

Dubium potest haberi rectene Voss.[2] *horis* (si modo est *horis*) tradiderit in 635, an praestet id quod habet Gembl. cum reliquis et Cusano *horam.* Mihi non temere neque per errorem **horis* inlatum uidetur. Nam meridianus quasi trutina horas diuidit aequaliter sextam notando; quod quid est aliud quam *sextam examinat horis?* Sic enim horis (datiuo) fit in duo dimidia (6 × 2) distributio. Hoc magis ex Manilii more: illud facilius, ut *horam* accommodate quis ad *sextam* intulerit. Sed nondum satis res explorata est: etsi enim de Cusano constat, pleniorem notitiam aliunde desidero. *Hic*, si *mutans* assumpseris ex Voss.[1] et *b*, erit 'et hic quidem' locum semper mutans in caelo, si *mutat* ex melioribus Gembl. Lips. Cus., idem sed clarius significabit, tanquam nouum inducens id quo meridianus a praedictis circulis discernitur: ut Macrobii uerbis utar, *unus omnibus meridianus esse non poterit, sed singulis gentibus super uerticem suum proprius meridianus efficitur.* Mox *seu si quis* Molinius, ut uidetur, in *ceu si quis* emendauit. Sane Lucretius iv. 617–619 scripsit *Principio sucum sentimus in ore, cibum cum Mandendo exprimimus, ceu plenam spongiam aquai*

* Compendio illo plerumque *ris*, nonnumquam *rum* significatur.

Si quis forte manu premere ac siccare sueuit, comparatione facta sucum cibis, aquam spongiis exprimendi. Et II. 284 *dextris ceu causa* in *seu causa* uidetur abiisse. Sed in Manilii uersu I. 637 *ceu* non comparandi uice fungitur, sed exempli: itaque
si
excidisse potius particulam reor quae *seu* praecesserit. Fuitne *nam*, ut Bentleius uoluit? Nam quod olim mihi placuerat *En* nunc minus probo.

I. 705–709

Ac ueluti uirides discernit semita campos,
Quam terit assiduo renouans iter orbita tractu,
Inter diuisas aequalibus est uia partes.
Vt freta canescunt sulcum ducente carina
Accipiuntque uiam fluctus spumantibus undis.

uel as
707 diuisis *Gembl.* diuisas *Vossiani et o*, q uia *Voss.*[2] equabilis *b. Versus interpolatus uisus est Bentleio.*

Comparatur galaxias cum semita quae agrum aequaliter diuidit. Inter 706 et 707 Iacobus credidit unum uersum excidisse. Mihi ex Voss.[2] suppetiae potius ferendae uidentur. Scribo

Inter diuisas aequabilis est *quia* partes.

Nam *semita* 705, *iter* 706, *uia* 707, *uiam* 709 ne Manilio quidem digna iteratio.

I. 711, 712

Candidus in nigro lucet sic limes Olimpo
Caeruleum fingens ingenti lumine mundum.

712 fingens *codices praeter o b*, fundens *o* findens *b sed ut scriba aliud prius scripturus fuerit*, findens *etiam corrector cod. Lipsiensis*, pingens *Bentleius*, tingens *Wakefieldus ad Lucr.* vi. 710.

Optime Scaliger *findens* adprobauit ex Arati uersu 474 εἴ ποτέ τοι τῆμόσδε περὶ φρένας ἵκετο θαῦμα Σκεψαμένῳ πάντῃ κεκεασμένον εὐρέϊ κύκλῳ Οὐρανόν, ἢ καί τίς τοι ἐπιστὰς ἄλλος ἔδειξεν Κεῖνο περιγληνὲς τροχαλόν, Γάλα μιν καλέουσιν '*If thou hast ever marvelled at A broad zone that cleaves the sky, Or wiser hand has pointed out to thee The many-gemmed belt of the Galaxy*,' ut locum uertit Eduardus

Poste. Scholiasta ibi *εἰ ἀσελήνου νυκτὸς οὔσης θελήσεις τὸν γαλαξίαν σκέψασθαι, ᾧ πᾶς διχοτομεῖται οὐρανός.* Ego *findens* etiam in ed. Romana anni 1510 inueni.

I. 718–720 sic scripti sunt in Gembl.

Num se deductis conetur soluere moles
Seminibus raraque labent compagine rimae
Admittantque nouum laxato tegmine lumen.

718 diductis *Scaliger.* 719 Segminibus *Scaliger* labet *b o* compage carinae *Vossiani ambo, Cus. b o,* compage ruinae *Molinius.* 720 pectore *Vossiani Cus. b o,* corpore *Luc. Mueller de r. m.* p. 455.

Gemblacensem ne hic quidem sequor. Numquis latine dixit *rimas labare?* Contra *carinae* optime dicitur de bifidis lateribus siue partibus caeli quae rarescente compage caeli aperiuntur lumenque per se effundunt: quemadmodum de diuisis nucibus usurpauit uocabulum Plinius xv. 88 *namque sunt bifidae putaminum carinae.* Et *compage* quidem usus est Macrobius de Galaxia dicens S. S. i. 13. 4 *Theophrastus lacteum dixit esse compagem qua de duobus hemisphaeriis caeli sphaera solidata est.* Si quis uero neget *compage* u. 719, mox *compagine* 727, *Aeriam in nebulam clara compagine uersus,* et rursus 840 *Interdum aequali laterum compagine ductus* usurpari a Manilio potuisse, hunc sic redarguam: *compagine* semel quidem extare apud Ouidium M. i. 211 *compagine cerae,* semel in Germanici Arateis 180, fortasse etiam apud Celsum iv. 7 (14), Senecam Epist. 91. 12. At in loco Plinii H. N. ii. 5 *nullarum egens compagium* Detlefsenus reuocauit ex optimis codicibus: et Seruius ad Aen. i. 293 quamquam posteritatem fatetur admisisse ut etiam *compago* diceretur, cum *compages* antiqui tantum dixissent, addit tamen in fine '*compaginis enim nemo penitus dixit:*' ea autem quibus Ouidii uersus citari putabatur a Seruio, ab hoc nunc abiudicant Thilo et Hagenus. Deinde male latinum *compagine* quare *ter* imputes Manilio? An quia *semel* apud hunc extat? Quia semel peccauit, ideo semper? Nam in 727 ne certo quidem scimus *compagine* uere traditum esse, cum uterque Vossianus habeat *compage,* ut alium finem uersus habere potuerit.

Nec Scaligeri inuentum *segminibus* uerum existimo. Nam si I. 487 Manilius posuit *qui primus moenia mundi Seminibus struxit minimis inque illa resoluit*, potuit etiam caeli moles dici *seminibus diductis solui*. Sic dixit IV. 878 *Seminibusque suis tantam componere molem*. Adde quod *segminibus* nec optimi κόμματος est, nec statim sequente *tegmine* inuehi debuit. Nam *tegmine* recte Gembl., *pectore* praue maxima pars codicum tradidit: futilis autem est Iacobi emendatio *pegmate*, quamuis commendet id ratio palaeographica, cum saepius PECMA per *c* scriptum inueniatur.

I. 721, 2

Quid quasi non timeant magni cum uulnera caeli
Conspiciant?

Voss.[2] *Quia quasi*. Fuitne *Quidquam non timeant?*

I. 723, 4

An coeat mundum duplicisque extrema cauernae
Conueniant, caelique oras et sidera iungant?

mundum *Gembl. et Cus.* mundus *Vossiani, o b.*

Vnum idque apertum uitium in his quis non tollat qui ex Thomasii noua collatione Gemblacensis codicis intellexerit *mundum* ibi in 723 non *mundus* extare? Est enim scribendum *An coeat nondum*. Lacteae uiae duas causas fingit Manilius. Aut enim diducuntur mundi primordia laxataque compage caeli per commissuram lumen diffluit: aut caelum nondum ex fissura coiit, sed extrema cauernarum etiamnum conuenientia lucem per se mittunt siderum, dum orae iunguntur necdum coeunt.

I. 735 sqq. sic extant in Gembl.

Fama etiam antiquis ad nos descendit ab annis
Phetontem patrio curru per signa uolantem
Dum noua miratur propius spectacula mundi
Et puer in caelo ludit curruque superbus
Luxuriat †mundo cupit et maiora parente.

Corruptum est *mundo*, fortasse ex *modo non*, quod cum sic scriptum esset *modo n̄* uel *modo* $^{\bar{n}}$ in *mo*"*do* mox in *mundo* conuersum est. Certe sic non languet oratio: bene enim dicitur

Phaethon cupere modo non maiora parente suo Sole, h. e. paene ultra solis aurigationem adspirare.

I. 746

Cum uaga dispersi fluitarunt lumina currus
Et caelum exustum est.

Pro inepto illo *lumina* repono *munera*. Phaethon enim paternos currus tanquam munus acceperat. Bentleianum *fragmina* nimis recedit a lectione codicum.

I. 750 sqq.

Nec mihi celanda est famae uulgata uetustas
Mollior; e niueo lactis fluxisse liquorem
Pectore reginae diuum, caelumque colore
Infecisse suo.

Seruauit haec Iacobus sic ut in codd. leguntur, quanquam non iniuria uidetur Bentleius pro monstro habuisse illud *Mollior*. Credo MOLLIORE ex MOLLEMDE deprauatum esse: quis enim nescit mollitudinem teneritudinemque (Prud. Cathem. iii. 70 *Lac tenerum premitur calatho*) lactis? Schol. Arat. Phaen. 464 Bekker. Ἐρατοσθένης δέ φησι, μυθικῶς αὐτὸν διηγούμενος, ὑπὸ τοῦ τῆς Ἥρας γάλακτος γεγενῆσθαι ἐκχυθέντος· ἤκουσε γὰρ παρὰ τοῦ Ἑρμοῦ ὅτι οὐκ ἴδιός ἐστι, ubi corrigendum est περὶ τοῦ Ἡρακλέους ὅτι οὐκ ἴδιός ἐστι, ut ex Schol. Germanici Arateorum apparet p. 104 Breysig *Ostenditur autem unus inter circulos caeli, qui lacteus uocatur, quod albis nubibus denotetur circuitus eius, quod Iuno* (lac) *mamillis effudisse dicitur, cum audisset Herculem suum filium non esse.*

I. 755–757 sic extant in Gembl.

An maior densa stellarum turba corona
Conuexit flammas et crasso lumine candet
Et fulgore nitet collato clarior orbis?

755 densat *Vossiani et Cusanus.* 756 Contexit *Vossiani et Cus.* et] de *Vossiani.* 757 caelato *Iacobus ex Vossianis.*
Conuexit sane Gembl. sed uix recte, cum de oneribus frequentetur uocabulum: aptius ad rei fabricam *contexit:* nam *conexit* paene barbarum, quamuis id Catullo lxiv. 339 tribuerit Lachmannus, *nexisti* Diomedes 369 Keil in Propert. iii. 8. 37, *nexit* Priscianus 470 Keil apud Lucilium uideantur legisse.

Cetera recte credo Gembl. seruasse: Vossianos si sequar, scribam

> An maior densat stellarum turba corona*m*
> Contexti*m* flamma*ns*, de crasso lumine cand*ens*,
> Et fulgore nitet caelato clarior orbis?

ut 756 euaderet Ciceronianus hexameter.

I. 758, 9 sic extant in Gembl.

> An fortes animae dignataque nomina caelo
> Corporibus resoluta suis terraeque remissa
> Huc migrant ex orbe suumque habitantia caelum
> Aetherios uiuunt annos mundoque fruuntur?

o

758 numina *b* numine *o* lumina *Voss.*[1] *et Cus.* lumine *Voss.*[2] numina *Bentl.* 759 terraque *Bentl.* 761 feruntur *Vossiani et o.*

Bentleium quamuis Burtonus iniuria reprehenderit quasi *numina* sic demum possent uocari postquam in caelum recepta essent, malo hic Gembl. sequi. Nam idem Burtonus *nomina* recte interpretatus est homines claris nominibus insignitos, quorum animae in lacteum circulum siue galaxiam credebantur peruenire. Itaque Africanum Cicero (de Rep. vi. fin.) maiorem et Paulum patrem minoris Africani cum hoc fecit colloquentes in galaxia. Quorum Paulus haec filio suo dicens inducitur, (16. 15) *ea uita* (iustitiae et pietatis) *uia est in caelum et in hunc coetum eorum, qui iam uixerunt et corpore laxati illum incolunt locum quem uides:* filius autem, ut a somno recordatus est sic locum pergit describere: *erat autem is splendidissimo candore inter flammas circus elucens, quem uos, ut a Grais accepistis, orbem lacteum nuncupatis.* Hunc totum locum de somnio Scipionis Manilio * obuersatum credo et hinc dici *nomina Corporibus resoluta suis terraeque remissa* uidelicet ex orbe suo ubi in terris habitauerant migrasse in lacteum circulum. Nam in eo multus est Cicero ut de uita hac mortali tanquam carcere, de corpore tanquam

* Idem intellexit Lansonus de Manil. Poet. p. 39 'Ante Manilium autem cui placuit eadem suspicari ac sperare? Non sane alicui Stoicorum, sed Ciceroni cuius somnium Scipionis mihi videtur Manilius esse imitatus.'

uinculo dicat, neget autem nisi deus corporis custodiis leuauerit aditum illuc cuiquam patere (15. 15). Sed non idem est *terrae remissa*, ut Gronouius putauit (Obseru. i. 11), quod a terra remissa, cuius structurae nullum satis idoneum extat exemplum: est potius excusationem habentia ulterius in terris morandi, 'excused the earth.' Similis est usus datiui apud Tacit. Ann. i. 12 *nequaquam decorum pudori suo legere aliquid aut euitare ex eo cui in uniuersum excusari mallet.* Nam ut ibi excusatur aliquis rei qui eam obire non cogitur, sic in Manilii uersu nomina *remissa* dicuntur *terrae* quae excusationem habent ne in hac diutius coerceantur. Inuersa structura Seneca Controu. vii. 16, p. 184 Bursian dixit *culleum mihi remitte* pro permitte ne parricidae morte peream.

I. 765, 6

Danaumque ad Pergama reges
†Castra ducum et caeli uictamque sub Hectore Troiam.

Sunt quibus uera uideatur Bentleii emendatio *Assaracum atque Ilum totamque sub Hectore Troiam.* Nobis quoque ualde placuerat primum cognita; post diligentius exigentibus non tantum arte excellere quantum longe abhorrere a uero uisa est. Quid enim hic faciunt *Ilusque Assaracusque et Troiae Dardanus auctor?* Loquitur sane Manilius de Troianis, sed decertantibus cum hoste pro Troia sua; nihil ad rem fuit hic stirpem regum inducere. Sed ne palaeographiae quidem legibus omni ex parte respondet. Esto, factum sit *Castra ducum* ex *Assaracum*, at quomodo ATQ.ILVM ex ETCAELI uel ETCAELIV extorquendum sit neque Stoeberus intellexit neque ego perspicio. Propius a litteris abesset *Assaracumque Ili* ut ex Ilo Assaracus genitus diceretur. Postremo *totam* sub Hectore Troiam mire Manilius dixit Homeri uersum respiciens Il. vi. 403 *οἶος γὰρ ἐρύετο Ἴλιον Ἕκτωρ*, cum planius ac melius *tutam* (ii. 3) dicturus esset: neque ullus codicum *totam* exhibet, sed omnes *uictam*. Verum ut incertum me habet Bentleiana emendatio, ita nihil suppetit quod de meo proferam. Temptaram

CASTRA DVCVM EXSEQVIAS

cuius nunc me paenitet.

I. 778, 9

Tarquinioque minus reges et Horatia proles
Tota acies partis.

Ne hic quidem Bentleium sequor. Qui cum falso *partus* crederet in Gemblacensi extare, hoc praetulit. Atqui *partis* extare in Gembl. testis est Thomasius; *partus* Voss[1] et *b* habent. *Partis* equidem praefero h. e. partis suae siue Romanorum, quia non toti exercitui, sed certamini fratrum omnis fortuna belli commissa est.

I. 780

maiorque uiris et Cloelia uirgo.

Et si uere traditur in Voss[2] et *o*, (Gembl. habet *eo colia*, Voss[1] *eoeclia*) non *etiam* significare debet, sed idem est quod 'idque' siue 'atque ea,' *uirisque maior Cloelia, idque uirgo cum esset.* Suspicor tamen pro *et* scribendum esse *tu*, sicut etiam in 795, ubi Gembl. *Emeritus caelum et Claudi magna propago* dat, pro *et* reponendum uidetur *tua.* (*Clausorum* Breiterus.)

I. 798–802

Venerisque ab origine proles
Iulia descendit caelo caelumque repleuit,
Quod regit Augustus socio per signa Tonante,
Cernit et in coetu Diuum magnumque Quirinum
Altius aetherei quam candet circulus orbis.

Ita locum edidit Iacobus. Codices sic uariant 798 uentrisque *Gembl. et ceteri.* 799 *an* soliumque? repletum *Vossiani.* 800 divum *ex* duim *uel* dium *Gembl.* quirini *Gembl.* 802 qua *b o.*

Notabilis locus est propter adulationem Augusti. Nam si fides est codicibus, fingitur nondum mortuus Augustus in caelo cum Ioue regnare, ibique in deorum coetu uidere Iulium Caesarem et Romulum (Sen. Controu. p. 198 Burs. *Romulus sacratus caelo parens*); qui tres caelum quod ultra galaxiam est tenent cum dis maioribus. Comparentur similes uersus IV. 933–935 *Ne dubites homini diuinos credere uisus. Iam facit ipse deos mittitque ad sidera numen, Maius et Augusto crescet sub principe caelum.* Nam ut I. 799 *caelum repleuit,* ita IV. 935 *crescet caelum* ad auctum ex

Iulia gente numerum deorum refertur. Iam Horatius C. iii. 3. 11, 12 *Quos inter Augustus recumbens Purpureo bibit ore nectar* (languet enim *bibet*, quod habent nonnulli codices) Augustum, tanquam diuus factus esset adhuc uiuens in terris, interesse fecerat conuiuio deorum; eandem sententiam Manilius sic immutauit ut inter sidera (*per signa*) imperantem Augustum cum Ioue induceret.

Semper tamen in illis *descendit caelo caelumque repleuit, Quod regit Augustus* haesitaui meque reuocaui. Quomodo enim caelum Iulii *replesse* dicantur, cum duo soli eo ascenderint? Et abiectissimae adulationis erat Augustum fingere in caelo participantem imperia Iouis. Eccui non hoc ludibrio foret, recordato Horatianum illud, quanto uerius quantoque sublimius!

Caelo tonantem credidimus Iouem
Regnare: *praesens* diuus habebitur
Augustus.

Eccui non impium, ut Augustus non solum terras regeret, sed ultra galaxiam euectus etiam caelum? Intellexitque idem Tristanus Commentar. Historic. i. 71 cum statueret uersus istos *Venerisque ab origine proles—circulus orbis*, ut nunc leguntur, non potuisse ante Tiberii principatum scribi. 'A la vérité ces vers ne sont intelligibles que par la seule consideration que cet excellent œuure ayt esté composé par Manilius souz Tibère.' At si *caelumque* in *soliumque* corrigas, tribuetur Augusto non imperium duplex terrarum atque caeli, sed solius terrae et hoc cum Ioue sociatum, ut merito id *replere* et ex omni parte regentis uices aequare possit: idemque cum a caelesti matre ortus sit cumque deo societ regnum terrarum, non terrestri tantum uita fruitur mortalium, sed in deorum coetum relatus horum quoque uitae particeps fit.

Aliter nuper iudicarunt Birtius et discipulus eius Augustus Kraemer in programmate quod hic *de Manilii qui fertur Astronomicis* hoc ipso anno Marburgi edidit pp. 33 sqq. Sed quae de Caesarum cultu fusius ibi Kraemer disseruit, non euincunt Augustum, in deorum ueneratione praecipuum et cui futurum esset religioni parem se Iouis facere, etsi pro deo templis ac

sacris coleretur, potuisse dici caelum *r e g e r e* tanquam esset socius Tonantis; quod autem uult Birtius uersus sic distinguere

Venerisque ab origine proles
Iulia: descendit caelo, caelumque repleuit,
Quod regit Augustus socio per signa Tonante &c.

paucissimis id credo persuasurum.

I. 809–812

Sunt alia aduerso pugnantia sidera mundo
Quae terram caelumque inter uolitantia pendent
Saturni Iouis et Martis Solisque sub illis
Mercurius Venerem inter agit Lunamque locatus.

812 uenerem ī tangit *Voss.*[2]

Cum his uu. comparandi sunt V. 5–7 *Ac per descensum medios percurreret ignes Saturni Iouis et Martis Solisque sub illis Post Venerem et Maia natum te, Luna, uagantem.* Sunt enim tam similes ut ad illos hi conformandi sint, et sic distinguendi

Saturni Iouis et Martis Solisque: sub illis
Post Venerem et Maia natum te, Luna, uagantem

quod moneo propter editores, qui omnes distinctionem post *sub illis* posuerunt. Vtrumque locum Bentleius ab interpolatore credidit profectum, sed a libro V uix poterant abesse: de priore loco haereo. Nam quod uersuum I. 809–812 scabritiem Bentleius reprehendit, habet peiores Manilius et quos nemo tamen ab eo abiudicarit: tum qua ex re Bentleius praecipue eos condemnauit, *sub illis Mercurius Venerem inter agit Lunamque locatus,* nondum exploratum est recte sic uerba edi. Voss.[2] cui post Gembl. semper primas tribuo, locum sit exhibet *sub illis Mercurius uenerem ī tangit lunamque locatus:* id per litteras scriptum sic euadit *uenerem intangit.* Hoc *in* uidetur mero errore ex *m* conflatum: iam *m* per dittographiam a priore uocabulo *uenerem* tralatum atque iteratum esse, quemadmodum IV. 640 *uictricem Ebusum* factum est in Voss.[1] *uictricem mebusum,* IV. 39 *Varronemque fuga magnum* in Gembl. Lips. Cus. Vossianis *pugum magnum.* Ne multa, potuit uersus sic scribi, *sub illis Mercurius Venerem tangit Lunamque locatus,* hac significatione *sub illis* (Saturno Ioue Marte Sole) *locatus Mercurius tangit* siue confines

sibi utrimque habet ab altera parte *Venerem*, ab altera *Lunam*. Dicitur enim res quae contiguum sibi quid habet hoc *tangere*. Cic. Mil. xix. 51 *ad uillam suam quae uiam tangeret.* Caes. B.G. v. 3 *haec ciuitas Rhenum tangit.*

I. 825, 6

In breue uiuit opus ceptaque incendia finem
Subsistunt pariterque cadunt fulgentque cometae.

Sic Gembl. Ceteri sic uariant. 825 ficte *Voss.*[2] fine *Voss.*[1], *ut uidetur, ex* firte citraque incendia limen *Bentleius* 826 fulgente *Vossiani* fulgentęque *Cus.* cometa *Vossiani et Cus.* fugiente cometa *Scaliger.*

Egregie Bentleius *citra* pro *cepta* reposuit: *limen* uix necessario. Quidni *citra finem* cometae dicantur subsistere? Nam cum Aristoteles seu quis alius Meteorologica scripsit cometarum progressionem comparasset cum tractu siderum quae caelum transcurrunt tam celeriter ut principia cursus uix a fine discernantur i. 7 τοιοῦτον ὁ κομήτης ἐστιν ἀστήρ, ὥσπερ διαδρομὴ ἀστέρος, ἔχων ἐν αὑτῷ πέρας καὶ ἀρχήν, Manilium crediderim hoc sic uti ut cometarum inflammationi finem siue πέρας deneget, cum tam subito extinguantur ut *citra finem* siue nondum absoluto cursu uideantur subsistere (*stop short*).

Cetera sic interpretor, cometas simul atque fulgere coeperunt perire. Mire tamen dictum *pariter cadunt fulgentque*, neque hoc plerique tuentur codices. Horum scripturam *fulgente cometa* post Scaligerum sic refingo *fugiente cometa:* h. e. lux cometae non ad finem perducitur sed simul cum figura siue corpore cometae euanescit.

843–845 sic extant in Gembl.

partosque capillos
Mentitur paruis signis glomeratus in orbes
Hirta figurantis tremulo sub lumine menses.

843 partosque *Cus. Voss.*[1] partesque *Voss.*[2] paruosque *o* sparsosque *Gronouius* capıllos *Cus*, h.e. *i superscripta ut planius significaretur quid scriba uiderit* capellos *Iacobus testatur in Veneto esse et a m. pr. in Lipsiensi.*

844 Mentitur paruis signis *codd. omnes, nisi quod* uel paruos *a*

correctore superscriptum est in Cusano et Lipsiensi paruos ignis *Scaliger* glomerat *Voss.*[2] glomeratur *Cusanus.* 845 menses *codices plerique* mensis *Voss.*[2] messes *b o* menta *Bentleius.*

Locum puto sic refingendum esse

Parthosque capillos
Mentitu*s* paru*o*s sign*i* glomeratur in orbes
Hirta figurantis tremulo sub lumine men*ta*.

Menta iam Bentleius dederat. *Parthos* recte explicat Scaliger ex Suet. Vesp. 23 *cum stella crinita in caelo apparuisset, pertinere dicebat ad Parthorum regem qui capillatus esset.* Sed magis ad rem est quod ex Anaglypho Persepolitano expressit Richius *Companion to Latin Dictionary* p. 661. Caput est Parthi pilleum supra crines gerentis: singuli crines in cirrum rotundatum siue sinuatum se explicant: coniuncti autem sic diffluunt ut imaginem exprimant cometae.

I. 846, 7 sic extant in Gembl.

Praecipites stellae passimque uolare uidentur
Cum uaga per nitidum scintillant lumina mundum.

846 passimque uolant *Voss.*[2] *num* passuque uolante? 847 liquidum *Cus. cum Vossianis.*

Bentleio u. 846 mendosus uidebatur, cum *que* extra suam sedem locatum iudicaret, reposuitque *Praecipitant.* Melius secundum *Voss.*[2], si me audies, scribetur *Praecipites stellae passuque uolante uidentur*, h. e. stellae cernuntur praecipites et passu tamquam uolante.

Inter *nitidum, liquidum* sic diiudicavit Bentleius ut illud propter solam uetustatem Gemblacensis amplecteretur. Ego *liquidum* malim: nam quo magis caelum nitet, hoc minus clare oculis offeruntur scintillae: contra in liquido caelo nihil eis obest. Germ. Arat. 455, 6 *Dissimilis quintus* (*circulus siue Galaxias*) *liquida sub nocte uidetur Sidera cum reddunt sinceros eminus ignes.*

I. 867, 8

Siue illas natura faces ob cuncta creauit
Sidera per tenues caelo lucentia flammas.

Pro *ob cuncta* corrigo *obducta:* tam tenui flamma lucent illae faces ut siderum speciem praebeant sed obductorum ac paene

latentium. *Ob* enim uix credo in *ut* (sic Bentl.) deprauari potuisse.

I. 882, 3

totasque per urbes
Publica succensis peraguntur fata sepulchris.

Sic Iacobus edidit ex codicibus suis. Sed mirum quantum arridet Gembl. lectio *succensi sepulchri* modo *facta* scripseris non *fata*, 'the public process of a funeral pyre' siue 'the semblance of a public burial.'

I. 914 sqq.

Necdum finis erat: restabant Actia bella
Dotali commissa acie, repetitaque rerum
Alea et in ponto quaesitus rector Olympi,
Femineum sortita iugum cum pompa rependit
Atque ipsa Isiaco certarunt fulmina sistro.

Cum u. 915 comparanda sunt illa ex Elegia Maecenatis 53, 54 *ne posset femina Romam Dotalem stupri turpis habere sui*, etsi locum uitiatum credo, cum codex Vaticanus 3269 *herere* exhibeat, unde eum sic refinxi in Diario Philolog. Americano ix. 269 *Dotalem stupris subdere turpis heri.* In 917 pro *pompa rependit* Bentleius uolebat *Roma pependit*, hoc alterum (*pependit*) post Scaligerum. Sed quis umquam uidit ex *Roma* fieri *pompam*? Ego certe qui multis annis plurimos codices tractaui, nihil tale me uidisse confirmo. Neque tamen pompam, ut Stoeberus, uictoriam interpretor; sed est pompa triumphi Romanorum (Apollin. Sidon. ii. 375, 6 *Grex niger albentes tegeret cum mole iugales Auctoremque* (? Ductoremque) *suum celaret pompa triumphi*), qui postquam in eo fuerant ut Cleopatrae iugum tanquam uictricis sortirentur, ipsi uictores in Actiaco proelio facti, eandem seruitutem Cleopatrae rependerunt. Audacior sane dictio: cum *pompa* duplici sensu posita uideatur, dico Romanorum (1) deuictorum, et signa seruitutis ferentium, (2) uictorum et seruientis Cleopatrae imaginem in pompa ducentium.

LIB. II.

II. 6–9 sic extant in Gembl.

Vltimaque in patria captis penatibus arma
Ore sacro cecinit patria quae iura petentem
Dum dabat eripuit cuiusque ex ore profusas
Omnis posteritas lances in carmina dixit.

6 captisque *plerique.* 7 patria quae iura petentem *Cus. Voss.*[1] *et sic Voss.*[2] *nisi quod habet* patriaque patria atque (atqui *Regiom.*) iura petentem *o et ed. Regiom.* patriae quem i. petentem *b fortasse* patria ab quo iura petente. 8 profusos *Vossiani* profuso *b o.* 9 latices *Regiom.* duxit *Vossiani*, *b o.*

u. 7 Gronouius et nuper Breiterus sic emendarunt *patriae cui iura petenti*, ad Homerum referentes, cui cum patriam quaereret a qua iura ciuitatis acciperet posteritas ea iura et dedit et dando eripuit; septem enim urbes assignando nullam ei certam reliquit, ut uerbis utar Bentleii: cf. Cic. Arch. viii. 19 *Homerum Colophonii ciuem esse dicunt suum, Chii suum uindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei uero suum esse confirmant, itaque etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt: permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt.* Ego in *petentem* ablatiuum potius *petente*, in *atque* siue *atqui* quod habent *o* et ed. Regiom. *ab quo* latere existimo, *patria ab quo iura petente Dum dabat, eripuit*, h. e. ab quo patria cum iura sui siue ciuitatis peteret, ea, cum daret, eripuit. Durius enim ad *eripuit* refertur tamquam nominatiuus id quod in sequente tantum sententia locum suum habet *posteritas;* a quo distrahi arte cohaerens uocabulum *omnis* non debuit.

II. 39–43 sic extant in Gembl.

Quinetiam pecorum ritus et Pana sonantem
In calamos Sicula memorat tellure creatis
Nec siluis siluestre canit, perque horrida motus
Rura serit dulcis musamque inducit in auras.

39 ritus pecorum *Cus. et Lips.* ritus pecorumque *Vossiani*

uana *Voss.*[2] 40 creatus *plerique.* 42 causamque *Vossiani* in arua *Scaliger quod receperunt plerique* in antra *Bentl.*

Bentleius emendabat *ritus pastorum*, quasi *ritus pecorum* aliud significaturum fuerit, nempe uitam et uictum pecudum, citauitque Claud. de vi Cons. Honorii 153 *an iura perosus Ad priscos pecudum damnaret saecula ritus?* At si Plinius H. N. xi. 23 de apibus loquens dixit *cum duo examina concordibus populis dissimiles habuere ritus*, potuit Manilius, cuius in sermone multo minor cura fuit latine loquendi, idem uocabulum de consuetudine et moribus pecorum ponere.

Vltima illa *perque horrida motus Rura serit dulcis* sic interpretantur, 'nectit choreas amabiles per rura,' quod non iniuria Theocrito adfingitur. *Motus* sic usurparunt Vergilius G. i. 350 *Det motus incompositos*, Horatius C. ii. 7. 21, Liuius vii. 2: et sic *moueri* Hor. A. P. 232 *Vt festis matrona moueri iussa diebus*, Epp. ii. 2. 125 *nunc Satyrum nunc agrestem Cyclopa mouetur.* Sed quae est deprauata codicum Manilianorum condicio, suspicor latere aliud quiddam

perque horrida lotos
Rura ferit dulcis.

Paul. Diac. p. 119 M. *Lotos arboris genus, ex cuius materia frequenter tibiae fiebant.* Athen. iv. 182. d. οἱ δὲ καλούμενοι λωτινοὶ αὖλοι οὗτοί εἰσιν οἱ ὑπὸ Ἀλεξανδρέων καλούμενοι φώτιγγες. κατασκευάζονται δ' ἐκ τοῦ καλουμένου λωτοῦ, ξύλον δ' ἐστὶ τοῦτο γενόμενον ἐν Λιβύῃ. Ouid. F. iv. 190 *lotos adunca*, Sil. viii. 505 *Mygdoniam loton*, xi. 432 *Vt strepit assidue Phrygiam ad Nilotica loton Memphis.* Bene autem Theocritus *lotos* percutere dicitur, utpote inter Alexandrinos poetas numeratus. *Dulcis* autem *motus* siue choreas dicentem ne Manilium quidem fero.

II. 44, 45

Ille uenenatos anguis, hic nata per herbas
Fata refert, uitamque sua radice ferentis.

Suã *Gembl.* suam *Vossiani* sua *Regiom.* Fuitne *sua in?*

II. 53–59

Integra quaeramus rorantis prata per herbas
Vndamque occultis meditantem murmur in antris,

55 Quam neque durato gustarint ore uolucres
Ipse nec aethereo Phoebus libauerit igni.
Nostra loquar nulli uatum debebimus ora,
Nec furtum, sed opus ueniet, soloque uolamus
59 In caelum curru, propria rate pellimus undas.

gustarint *Gembl.* gustarent *Cus.* gustarunt *Vossiani et Lipsiensis.* 57 libauerit *plerique* librauerit *Gembl.* 58 uolamus *Gembl.* locamus *Vossiani* loquam' *Cus.*

uolamus etsi traditum est in Gembl., aliud uidetur fuisse in archetypo unde ducti sunt Cusanus et Vossiani duo. Nam *loquam'* (Cus.), *locamus* (Voss.[1] et [2]) ex *uocamur* credo prouenisse. II. 124 *caeloque ueniret Quod uocat in caelum.*

54 *meditantem* Rossbergius in *modulantem* refinxit: sed cf. Lucr. vi. 112 *Et fragilis sonitus chartarum commeditatur* (*carbasus*) Prudent. Cath. x. 123, 4 (*semina*) *Quae reddita caespite ab imo Veteres meditantur aristas.*

II. 82–89 sic extant in Gembl.

Hic igitur deus et ratio quae cuncta gubernat
Ducit ab aeternis terrena animalia signis.
Quae quanquam longo cogit summota recessu
85 Sentiri tamen ut uitas ac fata ministrent
Gentibus ac proprios per singula corpora mores.
Nec minus est quaerenda fides sic temperat arua
Caelum sic uarias fruges redditque rapitque,
Sic pontum mouet ac terris immittit et aufert.

84 recelsu *Voss.*[2] 87 nimis *Bentleius.* 89 ac *Lips.* et *Vossiani.*

Credideram infinitiuum *Sentiri* (85) in oratione positum obliqua posse ad opiniones referri quae uersibus 82, 83 traduntur: uelle enim hoc Manilium, '*quae* (signa) *quanquam* (deus) *cogit* siue stipat *longo summota recessu* unde clare perspici nequeant, tradunt tamen ea *sentiri* siue in sensum peruenire hominum ut secundum ea uita ac fata mortalium ordinentur.' Verum cum durior eiusmodi sit structura, malo Pingraeum sequi et cum eo Iacobum Kramerumque *sentiri* ex *cogit* pendere facientes: 'quae (signa) quanquam longo s. recessu cogit tamen (deus) sentiri.'

Quod in 87 codices omnes *minus* exhibent, potest id quidem

significare 'neque eo tamen minus est quaerenda fides unde confirmetur haec opinio' sc. terrena duci caelestibus: quam fidem continuo subiungit ex reliquo cursu naturae, *sic temperat arua Caelum* etc. Plerisque tamen magis placebit Bentleii emendatio *Nec nimis est quaerenda fides:* h. e. sponte se offerent argumenta quibus hoc probetur. Idem post dixit 129 *Sed ne circuitu longo manifesta probentur.*

II. 93 sqq. sic tradita sunt in Gembl.

Si submersa fretis concharum et carcere clausa *
Ad lunae motum uariant animalia corpus
Et cum damna tuas imitantur Delia uires
Tu quoque fraternis sic reddis curribus ora
Atque iterum ex hisdem repetis, quantumque relinquis
Aut dedit ille refert et sidus sidere constas.

95 Quod cum *Vossiani.* 97 reliquit *b* relinquit *o.* 98 refers *b et Scaliger* constas *etiam b* constans *Vossiani cum o et plerisque.* Pro *Et cum* Bentleius dedit *Et tua:* propius ad litteras est *Tecum damna, tuas imitantur, Delia, uires.* Pari modo in 378 pro *Et*, unde uersus initium ducit, codex coll. Corporis Christi (*o*) habet *Ete.* Eadem est conformatio uersus I. 626 *Te Capricorne tuisque Aquilam designat ab astris.*

u. 96 Bentleius sic corrigebat

Tu quoque fraternis si perdis in oribus ora,

sed neque hoc nec quod Bullialdo placuerat

Tu quoque fraternis reddis sic oribus ora,

mihi quidem satisfaciunt. A litterarum ductu propius abest

Tu quoque fraternis si credis curribus ora

ut Luna dicatur, cum partem sui luminis amisit, Solis curribus commodasse, quam rursus, cum pleno orbe fulget, ex eodem sole *repetit;* tantum ab eo referens luminis quantum ipsa ei reliquerat. Itaque *relinquis*, quod ueterrimi codices habent, non erit in *relinquit* mutandum.

An corruptum est *curribus* ex *occursibus?* Sen. ad Marciam de

* Pallad. xiii. 6 Nunc etiam quibus litus in fructu est, ubi lunae iuuabit augmentum, quae omnium clausorum maris animalium atque concharum iubet incremento suo membra turgere.

Consol. xviii. 2 *uidetis nocturnam lunae successionem, a fraternis occursibus lene remissumque lumen mutuantem et modo occultam, modo toto ore terris imminentem, accessionibus damnisque mutabilem, semper proximae dissimilem.* Hoc si uerius, scribendum erit

Tu quoque fraternis credis (reddis?) si occursibus ora.

II. 118

Signorumque choros ac mundi flammea tecta

Wakefieldus ad Lucret. i. 1013 *templa* corrigebat; idque uerum uidetur.

II. 124, 125

caeloque ueniret
Quod uocat in caelum sacra ad commercia rerum.

Sic codices. Nescio unde Iacobus intulerit *commercia caeli:* certe in Gembl. et in Cusano cum utroque Oxoniensi *rerum* inueni.

II. 129–133 sic traditi sunt in Gembl.

Sed ne * circuitu longo manifesta probentur
Ipsa fides operi faciet pondusque fidemque
Nam neque decipitur ratio nec decipit unquam
Rite secunda uia est ac ueris credita causis
Euentusque datur qualis praedicitur ante.

129 uidentur *Cus. et Vossiani.* 132 secanda *o et ed. Rom.* 1510
i
causas *C.*

Quod *probentur* Gembl. *uidentur* Cus. et Vossiani habent, hoc alterum *uidentur* ex *morentur* uitiatum reor, quemadmodum
ui
in 437, ubi in ceteris codicibus *mores* est, *mores* in *o* inueni. Tum u. 130 *fides* Bentleio est 'res ipsa, ipsa scilicet experientia, ipse euentus.' Mihi uidetur potius esse ἀξιοπιστία naturae,

* Mirum est quod in Voss.[2] inueni *circuite longa:* nam quod suspicatus eram, sub his latere *circota e longa*, id locus uix admittit. κρικωτῆς σφαίρας siue sphaerae armillaris κατασκευὴν describit Geminus Elem. Astron. p. 51 D; cf. Ptol. Geogr. vii. 6. Mart. Capell. viii. 815 *neque enim uel axem polosque, quos in sphaera aenea quae* κρικωτὴ *dicitur, ad intellegentiae conpendia adfixere mortales, ego robori mundanae rationis apponam.* Gell. iii. 10. 3 *sed eos* (*polos*) *in sphaera quae* κρικωτὴ *uocatur propter breuitatem non inesse.*

'the certainty of nature's working,' qua certam causam non minus certus euentus sequitur. u. 132 *secunda* non est *secanda*, ut Bentleius uoluit, sed *sequenda* *, quod Fayus restituit, sententia postulante. Non hic loquitur Manilius de noua uia inquirenda astronomiae; sed docet astronomiam sequendam esse quippe quae a ueris causis ducta fidem sibi ideo conciliet. Itaque scribendum erat

Rite sequenda uia est, a ueris credita causis.

II. 145 sqq. sic extant in Gembl.

Illa fluit quae diuitias quae diligit aurum
Imperia et fasces mollemque per otia luxum
Et blandis aduersa sonis dulcemque per aures
Affectum ut modico noscenda ad fata labore.

146 laurum *Vossiani* laurum al. luxum *o* 147 solnis *Cus.* 'aures *ex* auras *corr. pr. m. expuncto* a *et superscr.* e.' *Thomasius de Gembl. referens* aurēs *Cus.*

fluit non tam multitudinem exprimit, quam *securitatem* turbae astronomiam neglegentis, ad alia omnia se conuertentis. Sic Claudianus in Rufin. ii. 428 *uacuo plebs obuia muro Iam secura fluit* ubi Heinsius adnotauit 'τὸ *fluere* plebis securitatem optime exprimit,' 'fleets on unconcernedly.' Alio sensu Seneca ad Polyb. x. 3 *cito enim nos omnis uoluptas relinquit, quae fluit et transit et paene ante quam ueniat aufertur;* quanquam hic quoque eodem uocabulo Angli utimur 'fleets' 'is fleeting.'

In 146 *luxum* Gembl. Cus. Lips., *laurum* Vossiani ambo, nescio an ad rem aptius, exquisitius quidem certe. Ad poetas potuit referri, qui lauro se coronabant: neque id tamen necessario, cum lauros propter enormes umbras (Plin. H. N. xvii. 88) in aestu quiescentes sectarentur. Hor. C. ii. 7. 18 *Longaque fessum militia latus Depone sub lauru mea nec Parce cadis tibi destinatis.*

Erunt tamen qui *laurum* ex ultimo uerbo u. praecedentis *aurum* in Vossianos inuectum putent.

* Hoc cum anno 1889 sic scripsissem, postea a. 1890 uidi idem intellexisse Rossbergium.

Restat difficillimum *Et blandis aduersa* sonis.* Quod si ut in omnibus codd. traditur, sic explicandum est, malim equidem *aduersa* nominatiuum habere (sc. *turba*), structuram autem accusatiuorum uerbis *Et blandis aduersa sonis* interruptam, rursus in his *dulcemque per aures Affectum* resumptam arbitrari. Illa turba fluit quae divitias aurum imperia fasces luxum diligit, et blandis se aduertens sonis, quaeque diligit dulcem per aures affectum. Tac. Ann. xiii. 45 *animum etiam leuissimis aduerterent.*

An, ut Scaliger contendit, *aduersa* mero errore scribarum ex *diuersa* (neut. plur.) prouenit? cuiusmodi uitium animaduerti in codice Coll. Corporis Christi ii. 287 ubi ceteri codd. *diuisa*, *o* autem *aduersa* habet. An reponendum est hoc ipsum, *diuisa*? quemadmodum Horatius dixit C. i. 15. 15 *Imbelli cithara carmina diuides.* Sic accusatiuus esset *diuisa*, significaretur autem alternatio uocum, siue cantus cum cithara, siue ἀντίφωνος se inuicem excipientium.

II. 167 sqq. sic extant in Gembl.

Atque haec ex paribus toto gaudentia censu
Signa meant nihil exterius mirantur in ipsis
Admissumue dolent quaedam quod parte recisa
Atque ex diuerso commissis corpore membris.

167 celo *Vossiani*, *b o*. 168 nitant *Voss.*[2], manent *b o* deterius *Vossiani.* 169 Amissumue *Molinius*, *Scaliger*, *Bentl.*

Mire errauit Iacobus structuram u. 169 sic expediendo ut *quaedam*, *quod parte recisa* scriberet, h. e. '*quaedam* dolent *quod parte recisa* sunt atque membris uarie commissis.' Aperte *quod* relatiuum est et refertur ad *exterius mirantur*, *Amissumue dolent*, hac sententia, *quod* sc. ut exterius quid additum mirentur amissumue quid doleant, *quaedam* ex signis Zodiaci patiuntur, cum uel partem sui recisam, uel membra diuersae naturae in unum corpus coniuncta habeant. Loquitur Manilius de Capricorno et Sagittario, qui ambo sunt parte sui recisa, ambo membris ex aliena natura conpactis, Capricornus ex capro et pisce, Sagittarius ex homine et fero.

* *adspersa* Rossbergius.

II. 171–177 sic extant in Gembl.

Vt Capricornus et hic qui intentum dirigit arcum
Iunctus equo pars huic oris sed nulla prioris.
Hoc quoque seruandum est alta discrimen in arte
Distat enim gemini duo sint duplane figura.
Quin etiam Erigone binis numeratur in astris
Nec facie ratio duplex nam desinit aestas
Incipit autunnus media sub uirgine utrumque.

171 *Vtque Capricornus* (*-nius* Voss.[1]) *qui* Voss.[1] Lips. et Cus., sed *que* in Lips. a correctore additum est. *Vt Capricornus et is* Iacobus *tentum* Vossiani, b o. 172 *oris—prioris* omnes nisi quod *hominis* extat in *b o* et ed. Rom. 1510 *priori* Bentleius ex codice Veneto, et sic iam Fayus ediderat 1679. 174 *gemini* Cus. *gemina* Vossiani *duplaue* Cus. et plerique. 176 *Hec* Voss.[2] *ratio duplex* etiam Cus. *duplex ratio* Vossiani ambo. 177 *utrique* Vossiani et *o uterque b* cum Regiom.

Valde hic praelucet ceteris Gembl. Quis enim non uidet recte in hoc extare *Et Capricornus et hic*, *duplane*, uitiose in plerisque *Vtque Capricornus*, *duplaue?* de ceteris potest dubitari. Consideremus singula. In 174 inter *geminus* et *duplus* discrimen fecit Manilius, si modo Manilius fuit, quod plerique sic interpretantur ut illud ad signa biformia sed disiuncta, quales sunt Pisces, Gemini, hoc ad coniuncta, quales sunt Sagittarius et Capricornus, referant. Ego contrarium censeo, nam ut IV. 784 *in geminum Minois filius astrum Ipse uenit geminus* Centaurus et Minotaurus gemini dicuntur quia humano corpore ferinum commisceant, sic hic Capricornus et Sagittarius uidentur *gemina* forma censeri, contra Pisces et Gemini, in quibus una species bis recurrit, *dupla*. Sic et Chiron Centaurus *geminus* est Ouidio Met. v. 630, Triton Statio S. iii. 2. 35. Nec *duplam* speciem pro duplici (I. 418 *duplici Centaurus imagine fertur*) quisquam uidetur posuisse, cum *duplus* sit bis tantus, *dupla* duplum pretii. Itaque si ex Gembl. *gemini duo sint* retinueris, eodem sensu erit quo IV. 784, h. e. distat utrum duo sint permixta specie, an eandem speciem bis referant (*dupla*) Hoc (*gemini*) ut quaesitius equidem praetulerim, non *gemina* deteriorum codicum, praesertim cum

gemina ad *dupla* facile scribae accommodaturi fuerint. Rursus legendum est ex Gemblacensi in 176 *ratio duplex*, non *duplex ratio* Vossianorum; nam quod *Idque duplex ratio cogit uerum esse fateri* est in 526, hoc metro cogente fit. Sed et sententia sic melius effertur; nam cum Iacobo interpungendum *Nec facie, ratio duplex, nam desinit aestas, Incipit autumnus*, h. e. Virgo inter geminae figurae sidera numeratur, neque id tamen ex facie; causa duplex, quod et aestatis finis et autumni initium est in Virgine. In quo errasse mihi Bentleius uidetur, quasi cum duplicem formam poeta Virgini tribuerit 662, non potuerit hic dicere *Nec facie*. Hoc est uerbis nimis insistere: cum nihil aliud hic Manilius uoluerit nisi Virginem inter bina astra numerari non tam ex facie quam ex duplici tempore cui praeest aestatis et autumni. Denique ne *utrumque* quidem abiciendum puto: simili structura dixit poeta Dirarum 96 *Siue eris, et si non, mecum morieris, utrumque*, uel ut fortasse corrigendus est uersus, *Siue eris, et si non mea conmorieris, utrumque.*

Restat 172 *pars huic oris, sed nulla prioris.* In his *priori* uerum uidetur, sc. Capricorno: *oris* sc. humani defendi poterat ex 189, 190 *Mitior autumnus mollis sibi uindicat artus, Materiamque oris, fera tergo membra rigentem Excipiunt hiemem.* Sed durior est παρήχησις *oris—priori;* et *hominis* iam in ed. Romana anni 1510 inueni.

II. 182 sic tradunt codices

> Et geminis alter florentia tempora uires
> Sufficit.

Repono *Ex geminis*, non *E geminis: uires* in *ueris* iam correctum in *b*.

II. 184–186 sic tradunt codices

> Nudus uterque tamen, sentit quia uterque calorem,
> Ille senescentis ueris, subeuntis et ille
> Aestatis: pars est primae sors ultima parti.

par est *o et ed. Neapolitana* sorti *Bentleius.*

Non uideo cur *parti* deneges Manilio, *sorti* potius scribas: nihil interest utrum eligas; uocabula uariauit, non rem. *Sors ultima* senescentis ueris par est *primae parti* subeuntis aestatis

'The end of spring and the beginning of summer count as equal.'

II. 187, 8

Nec non Arcitenens qui te Capricorne sub ipso
Promittit, duplici formatus imagine fertur.

Scribendum est *quia* 'because under his own form he gives forecast of Capricorn.' Non credo *sub ipso* esse *post ipsum*, ut uoluerunt post Bentleium alii.

II. 197–202, 223–229 sic extant in Gembl.

Quod tria signa nouem signis coniuncta repugnant
Et quasi seditio caelum tenet aspice Taurum
Clunibus et geminos pedibus testudine cancrum
Surgere cum rectis oriantur cetera menbris
Nec mirere moras cum sol aduersa per astra
Aestiuum tardis attollat mensibus annum.

199 pedibus geminos *Vossiani.* 201 Ne *Voss.*[1] *b o.* Neu *Neap.* auersa *Bullialdus.* 202 attollit *Vossiani, b o.*

223–229

Quod nonnulla sibi nullo monstrante loquuntur
Neptuno debere genus scopulosus in undis
Cancer et effuso gaudentes in aequore pisces
Vt quae terrena censentur sydera sorte
Princeps armenti taurus regnoque superbus
Lanigeri gregis est aries positique duorum
Praedatorque leo dumosis scorpius aruis.

223 tibi *Bentl.* 224 populosus *Bentl. Sane si* πετραίους (*Ael. H. A.* vii. 24) *hic significauit Manilius, uidetur uix latine locutus esse, cf. tamen* εἰαρόεις *pro uerno in Maximo et Manethone* (*Max.* 281, *Ludwich, Maneth.* iv. 275 Κριοῦ τ' εἰαρόεντος), οὐρανόεις *pro caelesti Maneth.* 273. 225 in aequore *uitiose codd. praeter b,* aequore *b.* 228 positisque *Cus. Vossiani o b,* positusque *Regiom.* hostisque *Scaliger* pestisque *Gronouius Obseruat.* iii. 15 *adstipulante Bentleio.* 229 rimosis *Iacobus.*

uu. 197, 223, conspirant codices in *Quod.* Id Scaliger mutauit in *Quin,* adsentientibus cunctis qui Manilii poema ediderunt. Atqui perraro inter se confunduntur *quod, quin.* Videndum igitur

numquae ratio sit *Quod* expediendi. Non absimilis usus est particulae toties recurrens in epistulis, e.g. Cic. Fam. vi. 7. 1 *Quod tibi non tam celeriter liber est redditus, ignosce timori nostro:* cuius usus innumerabilia exempla congessit Nipperdeius Opusc. 135–143: estque huiusmodi exemplum in Catull. lxviii. 1 sqq. A quo non longe recedit Lucretianum illud *Nam quod saepe homines morbos magis esse timendos Infamemque ferunt uitam quam tartara leti. ... Hinc licet aduertas animum magis omnia laudis Iactari causa, quam quod res ipsa probetur. Extorres idem patria longeque fugati. ... Omnibus aerumnis adfecti denique uiuunt.* Ad hoc exemplum si 197–202 expedias, erit sententia talis: 'de eo ut dicam, quod tria sunt ex xii signis quae ceteris repugnent, ♉ ♊ ♋, si quis haec iii signa conspiciat non rectis membris in caelum orientia quemadmodum oriuntur cetera ix, sed clunibus pedibus tergo, is non mirabitur tardari solis cursum cum per astra fiat aduersa inter se et repugnantia.

De 223–225 haereo: sed huc inclino ut apodosin sententiae faciam a u. 226 *Vt quae* incipere. Quod astra quaedam inquirenti profitentur se originem a mari ducere, ut sunt Cancer et Pisces, idem in his accidit quod in terrenis Tauro Ariete Leone Scorpio, utrique enim generi signorum hoc est commune, quod a *loco* ubi uiuunt bestiae unde nomen trahunt, discretionem habet suam, marina ab aquis, terrena a terris: estque tertium genus mediorum siue communium, Capricorni et Aquarii, qui ex parte aquis adsignantur. Prius sic explicaram, ut apodosin facerem in uerbis *scopulosus in undis Cancer*, structura loci simili Ouidianae Med. Fac. 79, 80 *Pondere si quaeris quo sim contentus in illis: Quod trahit in partes uncia secta duas*, h. e. pondus quaero, quod trahit. Sed re saepius perpensa, non dubito tanquam exempla adferri Cancrum, Pisces, neque posse uerba ea *scopulosus—aruis* a prioribus diuelli ut apodosin faciant.

II. 205 sic extat in Gembl.

Non tenebris aut luce suam peragentia sortem.

Noctem Cus. Vossiani et *o*, quod uix credo ex *sortem* deprauatum esse. Fuit potius *molem:* id uocabulum in Propertio

suspicatus sum extrusum similiter III. 11. 5 *Venturam melius praesagit nauita molem*, ubi *mortem* uel *noctem* habent codices. *moles* frequens apud Manilium, I. 478 *Nec quicquam in tanta magis est mirabile mole*, II. 62 *Ingentem aequali moderantem foedere molem*, quodque simillimum est, I. 207 *Vicinam ex alto mundi cognoscere molem Intendit.* Et hic quidem (II. 205) *moles* esset cursus cum molimine.

Vu. 211–215 poeta dicit vi signa Sagittarium Leonem Arietem Pisces Cancrum Scorpium, *aut uicina loco, diuisa aut partibus aequis*, diurna uocari. Tum addit

216, 217

Cetera nec numero consortia nec uice sedis
Interiecta locis totidem nocturna feruntur.

Atqui *cetera*, Capricornus Virgo Taurus Gemini Libra Aquarius, et *numero* (nam 3 signorum interuallo inter se separantur) et *uice sedis* (nam qua ratione Sagittarium Leo, Leonem Aries, Arietem Pisces, Pisces Cancer, Cancrum Scorpios excipit, ut Sagittario Scorpios, Leoni Cancer, Arieti Pisces sedis propinquitate respondeant, eadem cetera sex) paria siue consortia sunt. Luculente id ostendit Breiterus in Nou. Annalib. Philol. a. 1889 pp. 298, 9 addito diagrammate *. Et hic quidem corrigit

Cetera *uel* numero consortia *uel* uice sedis.

Mihi scribendum uidetur aut Cetera *nunc* n. c. *nunc* u. s. aut quod uerisimilius habeo

Cetera nec n. *dissortia* nec u. s.

Dissors, quod uerbum Heinsius ad Sabin. Epist. i. 35 multis locis

* Breiteri hoc diagramma est:

1. Diurna.

9 5 1 12 4 8
Sagittarius — Leo — Aries ‖ Pisces — Cancer — Scorpius.

2. Nocturna.

10 6 2 3 7 11
Capricornus — Virgo — Taurus ‖ Gemini — Libra — Aquarius.

restituendum credidit ubi MSS *discors* exhibent, non dubie scriptum est ab Ouidio Am. ii. 12. 11 *At mea seposita est et ab omni milite dissors Gloria:* sic enim traditum est in optimo codice Puteaneo.

II. 221, 2 sic extant in Gembl.

> Sunt quibus esse diurna placet quae mascula surgunt
> Feminea in noctem tutis gaudere tenebris.

Feminea in *codd.* Femineam *Scaliger* sortem *Bentl.* tuteris *Voss.*[2] *an* tuteis?

Feminea in codices *Femineam* Scaliger, optime me iudice. Nam *in noctem gaudere* dicuntur quibus propositum est tota nocte gaudere, ut de apibus dixit Vergilius G. iv. 189 *siletur In noctem.* At nihil hic uult Manilius nisi signa diurna a nonnullis haberi quae mascula, nocturna autem quae feminea sint: itaque non habet hic locum praepositio *in. Femineam noctem tutis gaudere tenebris* contractius dictum pro femineorum signorum noctem esse, quia gaudeant tenebris, ut infirmiora. [Nisi forte quis hoc dicat, idem esse *in noctem gaudere* quod Firmico I. 7 *per noctem gaudere:* de quo haereo.]

II. 230–233 sic Gembl. tradidit

> Sunt etiam mediae legis communia signa
> Ambiguus terrae Capricornus Aquarius undis
> Parsque marina nitens fundentis semper aquari
> Humida terrenis atque illi degere mixta.

232 aquarii *Cus.* aquarum *Voss.*[2] *cf.* 464 *ubi o habet* fundentis aquarum, *plerique* aquarii. Parsque mari nitens *Scaliger*, *quod Bullialdus de aquea parte Aquarii siue ea parte signi eius qua latices ex urna effundit posse explicari ratus est, Huetius de ipso Aquario calcante sub pedibus aquas quae ex urna profluant. Bentleius u. deprauatum et ex loco alio ante* IV. 490, *ubi nunc non extat, tralatum putabat. An* Parsque marina nitens fundenti semper aquarum? 233 Humida ī tenis *Cus.* atque illi degere *etiam Cus. Voss.*[1] *o* illis digere *Voss.*[2]

Recte uidetur Huetius id quod codices habent *Parsque marina nitens* tutari contra Scaligeri emendationem *Parsque mari nitens* cum ex 406 *Piscibus Erigonen, Iuuenique Vrnaeque Leonem* ap-

pareat Iuuenem cum Vrna unum Aquarii signum constituere. Neque aliter Bullialdus 'ait constellationem totam Aquarii mixtae esse κατὰ τὴν μόρφωσιν naturae, hoc est terrenae et aqueae; quod hominis figura, qui terrenus est, constet, et quod aquas fundat Ganymedes ille.' Ea aquae fusio cum ex stellis fiat xxxi ex quibus clarae duae, *nitens* dicitur a Manilio. Quod nisi adiectus esset uersus ille 232, incertus esset lector Manilii quomodo *commune* signum Aquarius diceretur.

Quod ex coniectura posui *Parsque marina nitens fundenti semper aquarum*, uolebam laboranti ταυτολογίᾳ opitulari. Commune signum dicitur Aquarius cumque eo pars marina aquarum nitens h. e. cum nitore cadens semper fundenti.

Scaliger *atque illi degere* mutauit in *aequali foedere*, idque Bentleius conprobauit. Sed uidetur propius a uero abesse is qui *aequali sidere* diuinauit, ut in Fayi editione legitur: certe hoc potius indicant litterae Vossiani ^{2} *atque illis digere.*

II. 252, 3

> Tuque tuo, Capricorne, gelu contractus in astris
> †Contra iacet Cancer patulam distentus in aluum.

Pro *Contra* (*Contrat* Gembl.) *iacet* Iacobus edidit *Prone, iaces.* Malim *Crura, iaces:* porrigitur enim altero crure sub se duplicato, altero curuato, quasi gelu rigeret. Etiam V. 168 idem uocabulum uitium traxit nam *turba perfundere certa pilarum* quid est nisi *t. p. crura p.*?

II. 265–269 sic extant in Gembl.

> Temporibus quoque sunt propriis pollentia signa
> Aestas a geminis autumnus uirgine surgit
> 267 Bruma Sagittifero uer piscibus incipit esse
> Quattuor in partes scribuntur sydera terrae
> Hiberna aestiuis autumnis uerna repugnant.

267 ire *Bentl.* 268 terrae *codd.* terna *Bentl.* 269 impugnant *Voss.*^{2}

Bentleius *sidera terrae* in *sidera terna* refingebat, haec adnotans 'Tria sidera adsignantur quattuor anni partibus; ueri pisces, aries, taurus; et sic deinceps.' Hoc uerum credideram, nam codex Collegii Corporis Christi *terris* in 278 similiter habet

ex *ternis* uitiatum: amatque Manilius numeros suos in partis resoluere, diuidendo et multiplicando. At nunc Iacobo adsentior retinendum esse *terrae*, nec tamen hac significatione 'in usum terrarum' quam Iacobus uoluit, sed ut adnectatur uerbo *scribuntur*: sidera adscribuntur siue adsignantur terrae ita ut aestas a Geminis, autumnus a Virgine, bruma a Sagittario, uer a Piscibus incipiat. Quia quattuor anni tempora terrae distributa sunt, terrae in haec distributae pariter adtribuuntur sidera per quae quattuor eae partes temperantur et reguntur. Nec sane placent *terna*, *uerna* in idem cadentia, idem sonantia.

II. 270–272 Gembl. sic tradidit

Nec satis est proprias signorum noscere formas
Consensu quoque fata mouent et faedere gaudent
uel f
Atque aliis aliae succedunt sorte locoque.

272 aliis aliae *Cus.* *Voss.*[1] *b* alii alie *o* illis alie *Voss.*[2]

Bentleius *sortes* pro *formas*, *alias alia* pro *aliis aliae* edidit. Atqui poeta paucis ante haec uersibus 257 sqq. de membris truncatis, hoc est, de *formis* siderum locutus est. Sed nec *alias alia* necessarium arbitror; *aliae* formae signorum *aliis* succedunt, prout sortem singulae habent locumue. Ecquid sollennius Manilio quam Zodiaci signa tamquam ζῴδια commemorare, h. e. cum certa configuratione membrorum?

II. 279 sqq. sic extant in Gembl.

Laniger et paribus spatiis duo signa leonis
Atque sagittarii diuerso conspicit ortu.
Virginis et tauri capricorno consonat astrum
Caetera sunt simili ratione triangula signa
Per totidem tortis desunt quae condita mundo
Sed discrimen erit dextris seu causa sinistra
Quae subeunt quae praecedunt dextra esse feruntur.
Dextera erit tauro Capricornus, uirgo sinistra.
Hoc satis exemplo est.

279 Laniger et *codices* Lâniger e *Scaliger* ex *malim* Lanigeri *Iacobus*. 280 conspicit *Lips. o b* conspicis *Vossiani*. 283 toti *o*.

Difficile est inter *conspicit*, *conspicis* diiudicare: illud ad

Gemblacensem prouocat, hoc magis poeticum, neque a Manilii genere scribendi abhorrens. II. 252 *Tuque tuo, Capricorne, gelu contractus*, 365 *quo te, Capricorne, rigentem Et Geminos a te pisces . . . contingens*, 440 *Formosos Phoebus Geminos, Cyllenie, Cancrum* (tueris), 563 *Haec eadem, Capricorne, tuis inimica feruntur*, 943 *Haec tua templa ferunt Maia, Cyllenie, nate.* Sed tamen standum est cum Gembl. Bentleiano *e* praetulerim *ex*.

In 283 unum constat, corruptum esse *tortis desunt.* Loquitur poeta de trigonis, quorum duo, prius ♈ ♌ ♐, alterum ♉ ♍ ♑, describit 279–281. Restant duo simili ratione constituta, alterum ♊ ♎ ♒, alterum ♋ ♏ ♓. Bentleius quidem totum locum a *desunt* usque ad *exemplo est* interpolatum credidit: pro *tortis* Scaligeranum *sortis* recipiendum putauit. Iacobus 283 sic scribit

Per totidem sortis diiuncta ac condita mundo,

Lucianus Mueller sic

Per totidem sortis distant quae condita mundo.

Mihi (1) non certum uidetur illud *sortis:* nam linea illa triangularis *in tria partitim cum ter cadat astra* 277, et hoc in quattuor trigonis fiat, non immerito *torta* siue per *tortus* duci ac flecti dicatur. (2) Cetera duplici modo explicationem habent. Aut enim scripserim

Per totidem sortis / tortus *dicunt* quae condita mundo

(sic iam dixerat Manilius 215 *Omnia dicuntur simili sub sorte diurna*), aut *de* ex *bis* siue *be* corrupto

Per totidem sortis / tortus *bis* sunt quae condita mundo

nam *duo* restant trigona, Geminorum et Cancri, totidem lineis ducta per caelum, quot duo priora, Arietis et Tauri.

Sequentes uersus sic refingo

Sed discrimen erit: dextris *ceu* causa, sinistra
Quae subeunt: quae praecedunt, dextra esse feruntur.

Quae praecedunt signa, dextra uocantur, quia quae secuntur, sinistram partem obtinent. Bullialdus 'Antecedentes partes appellat dextras respectu sequentium seu subeuntium, quas

sinistras uocat, uultu ad meridianum, quem respicit Astrologus, et Zodiaci hemicyclium supra Horizontem extans conuerso.' Addita *ceu* particula significat causam non ex rerum natura duci, sed artis et quasi imaginariam esse. Itaque totus locus sic euadet

Laniger ex paribus spatiis duo signa, Leonis
Atque Sagittari, diuerso conspicit ortu.
Virginis et Tauri Capricorno consonat astrum.
Cetera sunt simili ratione triangula signa,
Per totidem tortus bis sunt quae condita mundo.
Sed discrimen erit: dextris ceu causa, sinistra
Quae subeunt; quae praecedunt dextra esse feruntur.
Dexter erit Tauro Capricornus, Virgo sinistra.
Hoc satis exemplo est.

II. 287 sqq. sic tradita sunt in Gembl.

ad quae diuisa quaternis
Partibus aequali laterum sunt condita ductu
Quorum designat normalis uirgula sedes
Haec ta ferunt libram Capricornus‸ et illum
Conspicit hunc aries atque ipsum a partibus aequis
Cancer et hunc leua subeuntis sidera librae
Semper enim dextris censentur signa priora.

287 aduersa *o*. 290 '*in margine signum* r *apposuit pr. m.; item* spectat *adscripsit man. rec. indicans h. u. ad uoc.* Capricornus *pertinere.' Thomasius*. Hecca *Cusanus, Vossiani ambo, o.* ferunt *Lips.* feruntur *o* fer̄ *Cus.*, ferit *Vossiani. Post* libram *Voss.*[2] *habet* tortus *et in marg. adscriptum* Turtus, *unde Iacobus scripsit* Haecce ferit Libram, tortus Capricornus et illam. 291 hinc *Bentleius*. atque illum *o Vossiani* equum *Voss.*[2]

Hic de tetragonis loquitur, siue signis quadratis. His minor uis est quam trigonis, ut ipse dicit 332 sqq. *Sed longe maior uis est per signa trigoni Quam quibus est titulus sub quarto quoque quadratis.* Id discrimen uerbis *Haec ta* siue *Hetta* latere credo: nam ἧττα, ἥττημα uocabula mathematicorum. Firm. Mathes. iii. 9 *ipsos tamen faciet hettematicos et prima semper aetate uitiosos.* Itaque *Hetta* siue Ἧττα *ferit* repono, h. e.

inferiora sunt trigonis, neque tantum ualent. Mox Iacobo adsentior *tortus* ex *Voss.*[2] reddendum esse; sed dubito utrum *Libram tortus Capricornus* an ut Gembl. suadet *Libram Capricornus tortus* an denique ut fortasse quis eliciat ex *o* in quo est *feruntur*, cuius *-tur* poterat ex *tor*(*tus*) superesse,

Hetta ferit: tortus Libram Capricornus

potius sit scribendum. Notum est Capricorni posteriora in flexus uelut piscis uel pistricis terminari. Sed in fine uersus *illum* * cum omnibus codicibus retinendum erat. Quid enim? quadratum describit, quattuor signa recenset, quae se inuicem tangunt, Libram Capricornum Arietem Cancrum. Itaque in 291 pro *hunc* scribendum erit *hinc*. Totum locum igitur sic reformo

at quae diuisa quaternis
Partibus aequali laterum sunt condita ductu,
Quorum designat normalis uirgula sedes,
Ἧττα ferit. Libram Capricornus tortus et illum (*sc.* Capricornum)
Conspicit hinc Aries, atque ipsum (*sc.* Arietem) a partibus aequis
Cancer, et hunc laeua subeuntis sidera Librae.

II. 331–334 sic exarata sunt in Gembl.

Non igitur satis est signis numerasse trigonas
Quadratiue fidem caeli per signa quadrata quaterna
Quadrati si forte uoles effingere formam
Aut trinis paribus facies cum menbra trigoni.

331 trigonas *codd.* 332 'quadrata (*h. uoc. linea inferiore notauit pr. m.*) quaterna (q *ex* t *fecit pr. m.*)' *Thomasius.* quaterna *Cusanus cum Vossianis et b o.* celis *Vossiani.*

Pro *trigonas* reposuerim *trigona:* nam de trigonis ipsis, non de partibus trigonis (319 *partes non seruant illa trigonas*) uidetur

* Nam Iacobus locum sic scripsit
Haecce ferit Libram, tortus Capricornus et illam
Conspicit; hunc Aries, atque illum partibus aequis
Cancer, et hunc laeua subeuntis sidera Librae.

loqui. At in 332 *quaterna*, non *quadrata* scribendum esse clamat Gembl. et sermonis proprietas, cum neque *quadrati quadrata quadrati* placeat ter repetitum, et *quaterna* respondeat *trinis* 334.

II. 337 sic sunt in Gembl.

> Et quiscumque quater cunctis fauet angulus usque
> Quaeque loca in triplici signarit linea ductu.

Quaque *Voss.*[2] Que *o.* signauit *Voss.*[2]

Pro *cunctis* Scaliger coni. *iunctis*, Bentleius *iunctus* malebat. Sed *cunctis* ex *ductis* uel *ductus* corruptum credo, sicut I. 868 *ob ducta* factum est *ob cuncta*. Sic 367 *ductus locus it per transita signa*. Pro *Et* in 337 praetulerim *At*.

II. 358 sqq. sic extant in Gembl.

> uel deuia
> Dubiaque alternis data sunt commercia signis
> Mutua nec magno consensu faedera seruant
> 360 Inuita angusto quod linea flectitur orbe
> Nam cum per tales formantur singula limes
> Sydera, et alterno deuertitur angulus astro.

358 Deuiaque *codices reliqui praeter Voss.*[2] *cuius scriptura dignosci non poterat.* 361 sigula *Voss.*[2] per calles f. s. limos *Molinius.*

In 358 transitus fit ad hexagona. Itaque pro *Deuiaque* aut recipiendum erit Iacobi *Debilia* 'faint,' 'feeble,' aut scribendum *Deuia quae*: deuia enim bene dici poterant commercia signorum alternorum, h. e. in hexagono, cum alterno quoque astro cursus linearum deflectatur, ut quodammodo incerta uia ire nec lege obstringi sed alio uergere ac coeperant uideantur. Et uere tradi *Deuia* sic colligo, quod *per calles limos* (sic enim cum Molinio scripserim 361) ducuntur lineae hexagonorum: callis enim proprie est semita *tenuior*, callo pecorum praedurata (Seru. ad Aen. iv. 405), unde Vergilius *calle angusto* usurpauit de formicis, Isidorus Origin. xv. fin. callem *iter pecudum inter montes angustum* dixit; neque id solum, sed et *deuias calles* Liuius xxii. 24. Etiam Iacobus *limos* edidit; sed pro substantiuo, tanquam 'flexus' significet, cuius nullum exemplum repperi. Breiterus

coni. *Nam cum per talis feriuntur singula limas*, sc. obliquas lineas.

An est *limes* nominatiuus, uersus autem sic refingendus *Nam cum formatur talis per singula limes Sidera?*

Postquam primum hexagonum descripsit Manilius, pergit ad alterum, uu. 368–370, quos sic scribo

> Alterius ductus locus *it* per transita signa,
> Vtque ea praetereas quae sunt mihi singula dicta,
> Flexibus *ex* totidem similis *f*it circulus il*li*.

368 Alterius *b o Regiom. cum ed. Rom.* 1510 *et ed. Molinii* Alternis *Gembl. Cus. et plerique* et *codd.* it *ego* est *Scaliger.* 369 *ante* 368 *habet Gembl.* praeteream *o.* 370 et *codd.* ex *ego* similis it *Gembl.* similis sit *Voss.*[1] s. sic *Voss.*[2] similis fit *o et ed. Rom.* illis *codd.* illi *Fayus.*

Secuntur haec, 371–373, quae sic extant in Gembl.

> Transuersos igitur fugiunt subeuntia uisus
> Quod nimis inclinat anne limisque uidentur
> Vicinoque latent ex recto certior ictus.

371 *fort.* obeuntia. 372 inclinat *codd. plerique* inclinant *o et ed.*
ac ne
Rom. 1510 anne *Lipsiensis* ac ne *Cus. Vossiani o* inclinant aciem *Bentl.* inclinata acie *Breiterus* inclinat acne *Iacobus, h. e.* '*nimis inclinatur, seu se inclinat.*' 393 Vicinaque *Voss.*[2]

subeuntia si uerum est, significabit signa quae se inuicem uno interposito secuntur, transversum uisum inter se non habere. Sed potuit scribere *obeuntia*, nam signa hexagona siue per hexagonum iuncta *obeunt* circulum Zodiaci. In 372 unum pro explorato habeo *ac ne* uel *anne* non esse ex *acie* deprauatum; nam nec sensus congruit, cum *inclinare* uel *inclinari acies* de exercitu in fugam uerso dicatur, non de uisu obliquo; et tam frequens uocabulum uix in *ac ne*, *anne* latiturum erat. Non temere uidetur Iacobus *acne* scripsisse, quanquam ex eis quae Breiterus disseruit Nou. Ann. Philol. a. 1889, pp. 199–201, *inclināt acne* productis *at* litteris uix Manilius scripturus erat. Itaque *inclinant acnae* potius reposuerim. Sed qua significatione id uocabulum sic intulerit poeta, in dubio est. Iacobo est 'uirga,

unde acnua sunt;' sed in omnibus locis quos congessit Schneiderus ad Varron. R. R. i. 10 est mensura quaedam certa agri neque aliter Heron dixit ἄκενα siue ἄκαινα, de qua Scholiasta Apoll. Rhod. iii. 1323 ἄκαινα δέ ἐστι μέτρον δεκάπουν Θεσσαλῶν εὕρεμα· ἡ ῥάβδος ποιμενικὴ παρὰ Πελασγοῖς ηὑρημένη· περὶ ἧς Καλλίμαχός φησιν· ἄκαιναν, Ἀμφότερον, κέντρον τε βοῶν καὶ μέτρον ἀρούρης. Itaque non tam uirga gromatica erit quam ipsa spatia siue distantiae mensurales quibus singuli anguli hexagonorum a se diuiduntur. Censor. de d. n. 8 *tertiam signiferi partem uisus ille metitur.* Quanquam, si ἄκενα et uirga pastorum et mensura quaedam fuit, licuit fortasse Romano idem uocabulum ad uirgulae geometricae usus transferre. Sed haec lexicographis relinquo.

II. 379–383 sic extant in Gembl.

Sed tamen est illis phebus sub lege propinqua
Quod non diuersum genus quod euntibus astris
Mascula sed maribus respondent caetera sexus
Feminei se coniungunt commercia mundi.
Sic quicquam alterius paret natura figuris
Et cognata iacent generis sub legibus astra.

379 phebus *uel* phoebus *codd. praeter Voss.*^{2} quibus *Voss.*^{2} foedus *Scaliger.* 380 est *post* genus *habent ceteri praeter Gembl.* quod° euntibus *Voss.*^{1} genus alternantibus *Bentleius* subeuntibus *Breiterus* coeuntibus *ego.* 381 Mascula sed *Cus. Lips. o.* Mascula si *Voss.*^{1} Masculi samaribus *Voss.*^{2} M. sex *Scaliger.* 382 Femine sexus iungunt *Voss.*^{2} secum iungunt *Bentl.* 383 Sic quicquam *Cus. Lips. et o* Sic quicquid *Voss.*^{1} Tu quidquid *Voss.*^{2} Sic ꝗnꝗ *b* Sic inquam *Scal.* Sic quamquam *Bentl.* Sic quoque in *Iacobus* alternis *b.* 384 certis *marg.* generis *b* legibus sub legibus *Vossiani.*

Pergit poeta de hexagonis: Et tamen est quidam consensus inter se signis hexagonis quia quae se tangunt alterna 1, 3, 5, 7, 9, 11 et rursus 2, 4, 6, 8, 10, 12 sexu concordant, illa quod mascula, haec quod feminea sunt.

u. 380 *quod euntibus* palaeographiae obsecutus in *coeuntibus* muto: *coire* dicuntur astra alternis iuncta per hexagonum, mascula Aries cum Geminis, Gemini cum Leone, Leo cum Libra,

Libra cum Sagittario, Sagittarius cum Aquario, Aquarius cum Ariete: feminea, Taurus cum Cancro, Cancer cum Virgine, Virgo cum Scorpio, Scorpius cum Capricorno, Capricornus cum Piscibus, Pisces cum Tauro. Haec est lex propinqua siue propinquorum. uu. 381, 2 ex Gembl. restituit Bentleius, rectissime, ut mihi uidetur; nam *sed* 381 aperte respondet negatiuae particulae *non* 380, *se coniungunt* eadem duce palaeographia ex *secum iungunt* deprauatum est. Sed suboritur dubitatio, *cetera sexus Feminei secum iungunt commercia mundi* num recte Bentleius explicarit *secum* interpretatus 'feminea cum femineis, non cum masculis,' quod Anglice uertas 'six male signs correspond to each other, the remainder are feminine and interchange *only with each other* their skiey connexion,' an ἐμφατικῶς enuntianda sint illa *Feminei sexus*, quippe quae ueram uim teneant sententiae 'the remainder are feminine and maintain reciprocal communication *as such*.' Mox *si quicquam* potius ex coniectura scripserim quam *sic uicium*, (515 *Has natura uices tribuit cum sidera fixit*), qui genetiuus nescio an Manilio imputandus fuerit. Totum igitur locum sic constituo

Sed tamen est illis foedus sub lege propinqua,
Quod non diuersum genus est coeuntibus astris,
Mascula sed maribus respondent, cetera sexus
Feminei secum iungunt commercia mundi,
Si quicquam alternis paret natura figuris,
Et cognata iacent generis sub legibus astra.

Si quicquam quod addit, remanet tamen suspicio alternorum siderum per hexagonum copulationem nihil in genituris ualere; quem quidem conspectum, Censorino teste de die nat. 8 *quidam non usquequaque receperunt, quod minimum ad maturitatem partus uidebatur conferre.*

II. 419–422 sic extant in Gembl.

Hinc rigor et glacies niuibusque albentia rura
Hinc sitis et sudor nudusque in collibus orbis
Aestiuoque dies aequant nox frigida brumae
Sic bellum natura gerit discordat et annum.

420 nudoque *Voss.*^{2} solibus *Bentl.* *an* nudaeque in collibus

urbes? 421 *sic codices praeter b o* Aestiuosque dies aequat *b o et ed. Rom.* 1510 Aestiuosque dies aequans *Breiterus.* 422 discordiat & annum (*sic*) *Voss.*[1]

Quod plerique codd. habent *nudusque in collibus orbis*, si de hominum uniuersitate dictum est, mira ac uix Latina uidetur locutio, cum significet homines nudos prae aestu in collibus ubique exerceri, puta uites uel oleas curando et metendo. Opem tulit Bentleius *solibus* scribendo: quod ut ad sententiam optimum, ita ad litteras reuocanti incertum est. Etiam hic *orbis* poterat ex *urbis* corrumpi, sicut infra 772 *Ac uelut in nudis consurgunt montibus orbes*, ubi nullus codex *urbes* uidetur praestare. Sub Cancro deseruntur urbes, colles petuntur; Italis hodie dicitur *villeggiatura.* Eodem tempore in collibus fit uindemia, et nudantur artus operantium. Quod si quis ut in 772 montes *nudi* dicuntur, sic in 420 *nudis in collibus* praeferat, tralata caloris significatione a membris uindemiantium ad colles qui umbram negant, ne id quidem repudiarim; estque propius ad ductus litterarum *nudisque;* sed multo ad rem significantius *nudaeque.*

u. 421 recte tradiderunt *o* et ed. Romana, neque opus est coniectura Breiteri. Nouam sententiam induxit poeta, non quae per participium priori subnecteretur.

Sed u. 422 *discordat et annum* pro discordem facit annum uix potest uerum esse, etiamsi nihil ex Voss.[1] elicitur: *discordare* enim et *concordare* alii neutraliter tantum posuerunt. Vt in 493 *animum* pro *animus*, sic et hic *annum* pro *annus* uitiose traditum puto. Nec tamen absimile est *declinatque diem* 797; nam aliis dies declinare dicitur. Et 635 *Discordant illos* est in *o*, quanquam Manilium sic scripsisse uix crediderim.

II. 444–446

Venantem Diana uirum sed partis equinae
Atque angusta fouet Capricorni sidera Vesta
Et Iouis aduerso Iunonis Aquarius astrum est.

aduerso *Gembl. Cus. Lips. Vossiani* aduersum *b o et ed. Molinii.* Scaliger *E Iouis aduerso* edidit et sic explicauit 'Aquarius est

Iunonis astrum, ex aduerso Iouis. Nam aduersum signum Aquario est Leo, dicatus tutelae Iouis.' Quod si recte edidit, (et nihil refragatur Bentl.) malim *Ex Iouis aduerso*, et palaeographia dictante et usu locutionum *exaduersum exaduerso*. Sed incerta est emendatio; talis certe structura praepositionis nusquam innotuerat Handio. Aut seruandum credo quod dat Gembl. hac significatione 'Et astrum Iunonis Aquarius aduerso est (astro) Iouis,' h. e. aduersum habet astrum Iouis, aut cum *o* scribendum

Et Iouis (*astro*) aduersum Iunonis Aquarius astrum est.

II. 456 sic extat in Gembl.

Exer/cent Aries caput est ante omnia princeps
Sortitur.

Sortitur ex *sortitus* sic deprauatum est, ut II. 494 *conditur* uel *conditor* pro *conditus* traditum habent codices.

Sed cum omissum sit *est* in Voss.[2], in *o* autem uerba sic se excipiant *caput aries est*, suspicor scripsisse Manilium *caput est Aries ante omnia princeps Sortitus*. Nam in corporis partibus princeps locus est capitis; quocirca id cum ui et ἐμφατικώτερον enuntiandum erat.

II. 463, 4 sic Gembl.

Centauro femina accedunt Capricornus utrisque
Imperat et genibus crurum fundentis aquarii
Arbitrium est.

463 femora *Vossiani* foemora *o* 464 Imperat in genibus *b o et ed. Molinii* Imperitat *Bentl.* aquarum *o*.

Notandum est *femina*, quam formam cum praestent Gemblacensis et Cusanus, credibile est ab ipso poeta uenisse. Dixerat Vergilius Aen. x. 788 *Eripit a femine*, sicut testantur Seruius et Charisius 66, cum codicibus Mediceo Palatino Romano; et sic Ausonius Cent. Nupt. Imminutionis u. 9, si fides est Schenkeliano codici λ. In sequente u. Bentleius emendabat *Imperitat*, optime ad litterarum ductus *Imperat et*, ad locutionem, nisi me fallit iudicium, non recte. Alias certe *imperare* praetulit Manilius, II. 857 *locus imperat astris*, IV. 93 *regnum quod regibus imperat ipsis*, V. 525 *orbem interuertere praedae Imperat:* frequentatiua

uero raro aut nunquam recipit. *Et* cum *in* locum mutauit, fortasse ex compendio.

II. 475–477

Quod deus in leges mundum cum conderet omnem
Affectus quoque diuisit uariantibus astris
Atque aliorum oculos, aliorum contulit aures.

Miror nemini uenisse in mentem *aliorsum—aliorsum.*

II. 489 seq. sic extant in Gembl.

Virgine mens capitur, sic quondam uexerat ante
Europam dorso retinentem cornua leua
Indutusque Ioui.

489 mens *Cus. Voss.*[1] mars *marg. Voss.*[1] mares *Voss.*[2] qui *pro* sic *Vossiani.* 491 Ioue *ed. Rom.* 1510 *Post* Ioui *Bentl. addidit* est Iouist *Lachmannus* Indutusque Iouem *Scaliger.*

Tauri *mens* sic dicitur ut Geminorum *animus* 493, cf. 539 *in proprias secedunt singula* (astra) *mentes.* Sed in illis *mars mares* aliud latere puto, id uidelicet quod uirgini opponitur, *mas.*

u. 491 nihil muto: sententia per duo participia articulatur et cohaeret; sic quondam uexerat taurus Europam, laeua retinentem eius cornua, ipse autem Iouem sub se celans. *Indutum Ioui* Manilius dicit taurum quem uelut amiculum Iuppiter sibi induerat, ut se dissimularet.

II. 497, 8 sic extant in Gembl. Cus. Vossianis.

At leo cum Geminis aciem coniungit et aurem
Centaurus geminos Capricorni diligit astrum.

Centaurus geminos Bentleius in *Centauro gemino* correxit. Malim *Centauro, geminum:* nam Capricornus ex capra et pisce est. Et melius sic distribuuntur clausulae neque a ratione Maniliana hexametrorum abhorrent.

At leo cum Geminis aciem coniungit, et aurem
Centauro, geminum Capricorni diligit astrum.

II. 520

Quin aduersa meant etiam trigona trigonis.

Sic Gembl., sed *queant* Vossiani cum Cusano et *o*, *etiamque* Cusanus et cett. omnes, nisi quod in Lipsiensi *que* a correctore

additum est. Bentleius *etiam* in *et tota* immutauit. Ego *utrimque* praetulerim, ut primum trigonum Arietis Leonis Sagittarii opponatur tertio Librae Geminorum Aquarii, secundum quarto: quamuis spatio exclusus de posterioribus his nihil dixerit. Vel *utrimque* dicitur quia modo hinc, modo illinc inspiciuntur; utrumcunque latus binorum trigonorum contemplatus eris, inter se repugnabunt.

II. 530

Idcirco et cedunt pecudes, quod uiribus amplis
Consilium est maius.

qui o pro *quod*, h. e. quia: praetulerim hoc si faueant alii codices, de quibus nihil dum exploratum est.

II. 533

Ipse suae partis Centaurus tergore cedit.

Recte uidetur Stoeberus hoc contra Bentleianum *ferae partis* tueri. Centaurus siue Sagittarius hic ut maior inducitur post Leonem et Arietem: itaque *Ipse suae* additum est: *cedit tergore suae partis* est cessionem facit siue renuntiat tergori quod habet tanquam ferinam partem suae naturae: qua parte equus est nihil sibi arrogat. *Tergus suae partis* dicitur tergus in quo est pars sui.

II. 541, 2 sic tradunt codices.

Lanigero genitis bellum est cum uirgine natis
Et libra gemini pisces quos pertulit unda.

541 gentis *Gembl.* est *om. Vossiani.* 542 luna *Voss.*² gemitu *o* 'pisces *ex* piscis (?) *fecit pr. m.* (*Gemblacensis*)' *Thomasius* pertulit *Gembl. Cus. Vossiani* protulit *o b.*

In his uu. Manilius exordium facit inimicitiarum quas inter se priuatim gerunt sidera; quae digressio usque ad 569 producitur. Dicit autem 551, 2 Leoni communes hostes esse cum Ariete. Similiter 560–563 addit Sagittarium et Capricornum communes hostes habere, uidelicet Geminos Libram Virginem Aquarium. Hi igitur quoniam Sagittario et Capricorno communiter tanquam hostes adsignantur, non possunt iidem Arieti et Leoni adsignari. Itaque errauit Bentleius 541, 2 sic emendando

Lanigero genitis bellum est cum Virgine natis
Et Libra et Geminis et si quos protulit Vrna.

Iacobus sic edidit

Et Libra: Gemini, Pisces, quos protulit Vnda

quibus uerbis 'neglecta' siue potius nulla structura cohaerentibus uoluit hoc significari, Arieti bellum esse cum quinque signis Virgine Libra Geminis Piscibus Aquario.

Melius Manilio consuluerat Gronouius Obseruat. ii. 5 scribendo

Et Libra et gemini Pisces quos protulit unda.

Itaque tres hostes adtribuit Arieti, natos sub Virgine, sub Libra, sub Piscibus. Idem opinatus est Huetius, idem et Stoeberus, sed ut emendaret, parum ille quidem feliciter

Et Libra et geminis quos Pisces protulit unda.

Ab his III uiris, et praecipue ab HUETIO in hac re astronomica peritissimo, non audeo recedere; unum tamen habeo quo melius ad eorum sensus conformentur uerba Manilii, ut *et* post *gemini* excidisse rear,

Et Libra, gemini et Piscis quos protulit unda,

h. e. et cum eis, quos unda gemini Piscis protulit. Cf. I. 273 *Post hunc inflexam defundit Aquarius urnam, Piscibus assuetas auide subeuntibus undas.*

II. 583–6 sic extant in Gembl.

Vnus erat Pilades, unus qui mallet Orestes
uel lis
Ipse mori leuis una fuit per secula mortis
Alter quod raperet fatum non cederet alter
Et duo qui potuere sequi uix noxia poenis.

leuis *Cus.* *o* laus *Vossiani* lis *Scaliger* urna *ed. Molin.* 1551.

u. 586 sic emendo

Et duo qui potuere sequi, uix *noscere poenas.* Duo erant tam amici inter se ut alter pro altero supplicium ambiret, parum curans quonam genere plectendus esset. *Sequi* hic est adfectare uel ultro petere. Diodorus x. 4 de Damone loquens, qui pro amico Phintia sponsorem se mortis (ἐγγυητὴν τοῦ θανάτου) obtulerat, dicit ὃς οὐδὲ διστάσας ἔγγυος εὐθὺς ἐγενήθη θανάτου.

Vnus erat Pylades, unus qui mallet Orestes
Ipse mori: lis una fuit per saecula mortis,
Alter quod raperet fatum, non cederet alter,
Et duo qui potuere sequi, uix noscere poenas.

II. 598, 9 sic extant in Gembl.

Insidiasque fori[1], cedes in maenibus ipsis
Et sub amicitiae grassantem nomine turbam.

Caedesque Iacobus ex Vossianis: melius Gembl. cum Cusano et *o caedes*, more Maniliano. In eodem Cusano *crassantem* inueni et sic scriptum est in utroque Vossiano.

II. 613–615

namque est natura mitius astrum
Expositumque suae noxae nec fraudibus ullis
Nec minus ingenio molli quam corpore constant.

constant *Gembl. cum plerisque* constat *o et ed. Molinii* constans *Bentl.*

Etiam hic dubito num recte Bentl. *constans* scripserit. Certe *constant* ex *constat* (cf. 700 ubi MSS omnes *constant*) non minus prouenire potuit quam ex *constans;* et solet Manilius inlata participia sic finito uerbo uariare. Dixeris *constans* elegantius esse, pinguius ad aures cadere: at non idcirco Manilianum est, non magis quam *uellere* quod in 615 idem Bentleius contra codices dedit pro *corpore.*

II. 619–621 sic extant in Gembl.

At quin lanigeri partus sub utroque trigono
620 Non parcit sed rara gerit pro tempore bella
Quod feritas utriusque magis pro tempore cogit.

619 At cum *plerique codd. et o.* 620 partit *o.* 621 *pro* magis *Voss.*[2] *habet* uemens.

Nusquam magis elucet praestantia Gemblacensis, in quo uno est *At quin*, h. e. *Atque in*, pro quo inepta et falsa omnes ediderunt. Sententia est: atque in genitos sub Ariete *non parcit* non sibi temperat animus Leonis et Sagittarii *sub utroque trigono* in utroque angulo trigoni, *sed rara gerit bella* cum eo *pro tempore* prout tempus postulat, id *quod utriusque feritas* (et Leonis et

[1] Vide Epimetrum.

Sagittarii) *magis pro tempore* non semper, sed natura magis ac tempore iubente *cogit* ut faciant. Itaque *magis* uim suam habet, neque a uerbis *pro tempore* auellendum est. *uemens* quid sit, incertum: num *fremens* fuit?

II. 622, 623

Plus tamen in duplici numerandum est roboris esse
Cui commixtus homo est quam te, Nemeaee, sub uno.

Esse uitiose codd. pro *ex se:* quae coniuncta recurrunt IV. 100, 129. Pari modo *in se* in *ipse* abiit III. 461, isque error etiam Gembl. inuasit, uno Voss.[2] uerum seruante. Sagittarius, qui duplex est, partem hominis habens, partem ferae, plus ducit ex se roboris quam Leonis astrum.

II. 629, 630

Quosque dabunt Chelae et quos dat aquarius ortus
Vnum pectus habent fideique immobile uinclum.

Sic codices. Molinius in ed. 1551 *uel quos dat* edidit. Bentleius *Quosque dabunt Gemini Chelaeque et Aquarius ortus.* Facilius erat scribere

Quosque dabunt Chelae, quos edet Aquarius ortus

nam post *dabunt* requiritur futurum.

II. 633 sqq. sic extant in Gembl.

Scorpius et Cancer fraterna in nomina ducunt
Ex semet genitos, nec non et piscibus orti
Concordant illis sepe est et subdolus actus
Scorpius aspergit noxas sub nomine amici
At quibus in lucem pisces uenientibus adsunt
His non una manet semper sententia cordi
Commutant animos, interdum et faedera rumpunt
Ac repetunt tectaeque lues sub fronte uagantur
Sic erit e signis odium tibi paxque notanda
In terris geniti tali sub lege creantur.

635 illos nam sepe est *o* illis nam saepe est *ed. Rom.* 1510. est *om. Cus. et Vossiani ed. Regiom. sic exhibet* Concordant. illos (nam saepe est subdolus actus) Scorpius aspergit noxis sub n. amici. 637 astra *pro* adsunt *Voss.*[2] 640 reputant *Voss.*[2] *an* reparant? rectaeque *Vossiani*. 641 et *pro* e *Vossiani* ex *o recte.*

Et *illos nam* est etiam in Parisino; *illis nam* in ed. Rom. et ed. Molinii. Si Manilius *discordat annum*, uti tradunt codices, scripsit in 422, potuit *concordant illos* dicere de genitis sub Piscibus qui Scorpio genitos et Cancro prohibent ne sibi insidientur, redigunt in concordiam: *nam* saepe subdole agunt, non fraterne. Sit hoc lubricum: at illud *nam* uix quisquam de suo inlaturus erat, ut etiam contra Gembl. reposuerim

nec non et Piscibus orti
Concordant. Illis nam saepe est subdolus actus

h. e. etiam orti sub Piscibus pacem inter se habent. *Nam* illis prioribus (Scorpio natis et Cancro) saepe fraterna amicitia insidiis uiolatur. Et sic edidit Molinius.

In 641 *et* quod habet Voss.[2] ab *ex*, non *e*, deprauatum uidetur.

II. 643, 645.

Nec satis hoc tantum, solis insistere signis
Parte genus uariant et uires linea mutat.

uariatur *Vossiani* uariat̄ *Cus.* *num* uariatur et iras?
Nam infra 649, 650 quibus uersibus 643, 4 explicantur

Hinc modo dat mundus uires, modo detrahit idem,
Quaeque illic sumunt iras, huc acta reponunt

iras habet Gembl. cum Lips. et *o*, *uires* Vossiani.

II. 658, 9 sic extant in Gembl.

Ver aries cererem cancer bachumque ministrans
Libra caper brumam genitusque ad frigora piscis.

Non adsentior Bentleio absurde hic et incondite poetam loqui: recteque mihi uidetur Scaliger 659 sic interpretatus ut Capricornus cum sit caper in piscem desinens, a Manilio dictus sit *caper genitusque ad frigora piscis*. Sic *piscinus caper* dicitur in uersibus de sphaera P. L. M. V. p. 382. Additis enim illis *genitusque ad frigora piscis* causam petit ex natura rerum cur frigidum brumae tempus Capricorno tribuatur; nimirum frigidissima est natura piscium: Capricornus autem ex capro et pisce conformationem habet. Schol. Harl. in Aratea Ciceronis p. xiiii Kauffmann *Hac etiam de causa eius inferiorem partem piscis esse deformatam, quod muricibus hostes sit iaculatus pro lapidum iactione.*

II. 661–663 sic extant in Gembl.

duo cernere pisces
Et geminos iuuenes duplicemque in uirgine formam
uel textum
Et duo centauri licet uno in corpore mixtum.

663 in *om. plerique* textum *Cus. Vossiani* uno corpore texti *ed. Rom.* 1510 uno corpore textos *Scaliger* uno corpora textu *Bentleius* uno in corpore textus *ego.*

Simplicissime mihi uideor u. 663 refinxisse: nam si scribas *uno in corpore textus*, excepta littera qua uersus clauditur omnia seruantur ut in Gembl. leguntur. Sed nescio an non *mixtus* Manilius praetulerit ut rarius altero illo quod suprascriptum habet Gembl.

II. 665–667

Nam neque Taurus habet comitem nec pingitur ulli
Horrendus Leo nec metuit sine corpore quemquam
Scorpius atque uno censetur Aquarius astro

pingitur codices praeter Gembl. *iungitur* Gembl. Hoc restituit Scaliger. Atqui *pingitur* uere potest tradi, nam coloribus signa Zodiaci notabantur, ut est uidere in codice Arateorum Ciceronis Harl. 647. Itaque, si duplex signum fuit, utraque autem pars colorem suum habuit, hae inter se sic coniunctae, altera alteri adpingi, siue, ut hic est, pingi dicebantur. Datiuus *ulli* ex notione comitis habet explicationem. Sequentem u. Doruillius certissima coniectura correxit scripto *sine conpare*: idem error in Lucret. iv. 897 *Conpare ut hac nauis uelis uentoque feratur*, ubi codices dant *Corporis ut ac nauis*. Fuerat *Conparę ut* (*h*)*ac*: ę quia compendium erat pro *is*, hinc ortum *Corporis*.

II. 699 sqq. sic extant in Gembl.

his finibus esse
Duodecatemorium constant bis senaque cuncta
Omnibus in signis.

Dodecatemorium *Scaliger* constant *codices* constat *Bonincontrius* cuncta *codices* *an* puncta?

Iam Huetius ad V. 707 ubi de elephanto sermo est *Turpiter in tanto cedentem pondere cunctis* in *punctis* immutauit. Idem

error et hic codices inuasit. *Puncta* uocat duodecim particulas in quas singula signa distribuuntur.

II. 726 sqq. sic extant in Gembl.

Quocunque in partu nascentum tempora luna
Constiterit numeris hanc ter dispone quaternis
Sublimi totidem quae fulgent sydera mundo
Inde suas illi signo quo luna refulsit
Quae et hinc defuerant partes numerare memento.

726 Quocūque in partū *Cus.* Quocunque in partura *o* nascentur *Voss.*[1] tempora *Cus. Voss.*[1] tempore *ob* 727 Affuerit *cod. Parisinus* Affuerit *marg.* Constiterit *b* numerum hanc terṇẹ dispone quaternis *o.* 728 quia *Vossiani, b o, ed. Molinii.* 730 Quae et hinc *Cus. o et Lips. in quo* hunc *fuerat, Iacobo teste.* Quae et huic *Voss.*[1] Qua et hunc *Voss.*[2]

Mire conspirant codices in *Quocunque in partu*, nisi quod codex Coll. Corporis Christi habet *Quocunque in partura* Cusanus *Quocūque in partū* (*partum*). Scaliger correxit *Quacunque in parti*, et sane *parti* ablatiuo uidetur usus poeta III. 395 *Quacunque hoc parti terrarum*, quamuis corruptis codicibus res incerta sit. At in II. 726 consentiunt codices in *Quocunque*, non *Quacunque*, *o* autem ne *partu* quidem habet, sed *partura*.

u. 727, *hanc* in omnibus repperi, nec cuiquam ante me uenit in dubitationem. Sed quo referendum? Aut ex sequentibus 729, 730 *Inde suas . . . Quae et dehinc defuerant partes* supplendum erit *partem;* aut *hanc* (lunam) per brachylogiam sic interpretabere, huius lunae[1] sic positae numerum: nam in 30 partes iam distributa sunt singula signa Zodiaci; itaque *luna*, quocumque in signo natus quis fuerit, numerum in horoscopo habebit eius gradus siue partis signi in qua et is natus est et ipsa adfuit nascenti. Fietque hoc sic minus durum si ex Cusano reposueris *partum;* quo facto, et *tempora* in *tempore* refícto, locus sic euadet

[1] Sic in prognostico illo uitae et mortis quod Δημοκρίτου σφαῖρα inscribitur (nuper id edidit Dieterich in papyro magica Lugdun. p. 813), iubetur is qui de uita aegrotantis inquirit *συμψήφισον τὴν σελήνην καὶ βλέπε, πόσαι τριακάδες γίνονται καὶ τὰ περιλειπόμενα τοῦ ἀριθμοῦ κατανόησον εἰς τὴν σφαῖραν, καὶ ἂν ᾖ ἄνω ἡ ψῆφος, ζήσει, ἐὰν δὲ κάτω, τελευτήσει.*

Quocumque in partum nascentum tempore luna
Constiterit, numeris hanc ter dispone quaternis,

h. e. quocunque tempore siue hora luna constiterit in partum nascentum, huius lunae sic positae numerum duodecies multiplica.

Mox in 730 Scaliger edidit *Et quae dehinc fuerint.* Malim *Quae et dehinc defuerant* 'the parts successively left still unaccounted for.'

II. 735, 6 sic extant in Gembl.

In quo destituent te iustum luna tenebit
Duodecathe moriis signi.

735 In qua *Cus. et Vossiani* destituent te *Voss.*[1] destituente *Voss.*[2] eius tum *Bentl.* uidebit *Cus. Voss.*[1] *o et ed. Molinii.* 736 Duodecathemorois *o* Dodedatemorion *Iacobus* signi *Cus.* signis *Voss.*[1] *o.*

Non facile diiudices inter *tenebit, uidebit.* Sed proprius dicitur luna partem *tenere* cuius adiectus numerus sit, puta primam alteram tertiam, etc. In sequente uersu recte uidetur Iacobus *dodecatemorion* Graeca declinatione edidisse, cuius rei uestigium credo remanere in *duodecathemorois* quod habet *o.*

II. 736, 7

post cetera ducet
Ordine quoque suo.

quoque Gembl. Cus. Vossiani, rectissime, ut 661 *Quartum quemque locum.* Vide Maduigium ad Cic. Fin. v. 17. 45.

II. 739–741 sic extant in Gembl.

Maior in effectu minor est quod partibus ipsis
Duodecathemoriis quod sit quod dicitur esse
Duodecathemorium.

740 Duodecathemorii *Vossiani* quod sit *etiam Voss.*[1] quod sit *Lips.* Emendo *Dodecatemoriis insit.* Nam δωδεκατημόριος adiectiue usurpatum a Graecis non est cur Manilio abiudicetur.

II. 745 sqq. sic extant in Gembl. et Cus.

In quocumque igitur stellae quandoque locatae
Duodecathemorio fuerint spectare decebit

Cuius enim stellae in fine sint sydere quoque
Inciderint dabit effectus in uiribus eius.

745 quinque *pro* quandoque *o* locata est *Voss.*[2] 746 decebat *o* 747 *sic extat* in *o* Cuius enim stelle in fine sunt sydere Tọ̆tọ quoque *sed ut potuerit fuisse* quoto. 748 uiribus *post rasuram uocabuli quod prius scriptum fuerat nigriore atramento exaratum uidetur in Cus.* mentibus *o* ortibus *Voss.*[1]

Loquitur hic poeta de altera specie dodecatemoriorum, quod est dodecatemorion in dodecatemorio. Id quale sit clare explicauit Iacobus in figura[b] tabulae II. Neque ego quidquam habeo quod proferam de meo nisi ut u. 747 contendam aliter scribendum esse quam aut Bentleio uisum est aut Iacobo. Bentleius enim sic edidit

Cuius enim stella in fines in sidere quoque
Inciderit, dabit effectus in uiribus eius,

quae sic interpretatus est: 'cuius enim dodecatemorii in fines stella inciderit, dabit illud effectus suos pro uiribus eius stellae.' Nihil hoc clarius; sed non placet *in* ter repetitum, nec *stella* pro eo quod dant codices *stellae.*

Rectius, me iudice, Iacobus fecit, qui retento *stellae,* locum sic explicauit: 'cuius in stellae fines dodecatomorion inciderit, eius stellae uires dabit.' Sed ne sic quidem triplex *in* fero.

Mihi uidetur Manilius sic scripsisse:

Cuius enim stellae in fines *sub* sidere quoque
Inciderit, dabit effectus in uiribus eius

h. e. cuius enim planetae in fines dodecatemorion, quod hic est quinta pars dodecatemorii, inciderit in quocumque signo Zodiaci, is planeta dabit effectus in uiribus eius dodecatemorii. Nisi mauis ex *o* reponere *sub sidere toto,* et in 748 *mentibus,* quod idem *o* habet, in *motibus* refingere: cuius planetae in fines dodecatemorion inciderit sub quauis parte ex duodenis in quas singula signa distributa sunt (*sub sidere toto*), dabit (dodecatemorion) effectus in motibus eius (planetae). Cf. 969 *stellae Quos reddant motus.* Potuitque *sub* in *sunt* uel *sint* corrumpi: sic 282 cod. Parisinus habet *sub simili* et in marg. *sunt,* teste Stoebero.

Haec si uera sunt, inuertit poeta quae dixerat in 745, 6. Nam

in illis planetae dodecatemoriis includuntur; in 747, 8 dodecatemorion dicitur in fines planetae incidere.

II. 755–758 sic extant in Gembl.

Vt rudibus pueris monstratur littera primum
Per faciem nomenque suum componitur usus
Tunc coniuncta suis formatur syllaba nodis
Hic uerbis structura uenit per uerba legendi.

756 cum ponitur *Iacobus, recte ut uidetur: certe spurium esse uersum non mihi persuasit Bentl. Aegre enim desideratur* Per faciem nomenque suum, *quibus littera pueris monstratur.* 758 Hic *Cus. Voss.*[2] His *Voss.*[1] Hinc *ob.* legendo *Voss.*[1]

u. 758 plerumque post Bentl. edunt *Hinc uerbi structura uenit per membra legendi.* Vnus Breiterus de emend. Manil. p. 17 seruauit *per uerba*, sed mutato *legendi* in *legenti*, quod ipsum extat in Cod. Parisino. Sic *canendi* in 767 traditum est pro *canenti*; at *tonandi* idem Breiterus ex *tonanti* non recte elicuit V. 132. Sed optime se habet datiuus *uerbis structura uenit*, nec Manilio abripiendus est; qui ut nihil habebat cur a solito usu datiui post *uenire* (Verg. G. i. 216) descisceret, sic *legendis* in *legendi* (ut *templis* in *templi* 779) facile deprauar potuit: *uerba legit per uerba* qui inter complura uocabula unum legit, deinde alterum, donec totum numerum uocabulorum quae uersus uel sententia complectitur, impleuerit.

II. 762–764 sic extant in Gembl.

Quae nisi constiterint primis fundata elementis
Versaque quae propere dederint praecepta magistri
Et fluat in uanum rerum praeposterus ordo.

762 propriis *o b.* 763 Versu queque *o* Perdunt quae *Regiom.* Versis quae *Scaliger* Vel sua praepropere *Bentleius. Num* Vertas quae, *ut* que *mera dittographia sit?* 764 Et fluat *Cus. Voss.*[1] *o* Vt fluat *Voss.*[2] Et fluat '*subindicata* f *loco* t' *Lipsiensis, teste Iacobo.*

Hic insistendum in eo quod optimi codices uniuersi praestant *Et fluat*, non *Effluat.* Id si uere tradiderunt, ex u. 763 apodosis ducenda erit, corruentque et Bentleii arguta[1] sane emendatio *Vel*

[1] Nec tamen ea ueri similis, cum in sequente uersu sit *praeposterus.*

sua praepropere, et Iacobi liberior structura uerborum 'et si, quae magistri propere docuerint, euersa erunt.' Nam aut ad *Versaque* supplendum erit ex altero coniunctiuo *sint*, quod durius fortasse nonnullis uidebitur, aut *Versaque quae* ex *Vertas quae* deprauatum

t quae

est: quod equidem praefero. Scriptum fuerat *Vertas que*;

t quae

mox erasa *s Verta/que* factum est *Versaque quae*. Simili errore

uel quae

codex Horatii Bernensis 363 saec. ix in A. P. 45 habet *Pleraque differat*.

II. 768 sqq.

reuocanti numen in arte
Per partes ducenda fides et singula rerum
Sunt gradibus tradenda suis et cum omnia certa
Notitia steterint proprios reuocantur ad usus.

770 et *Gembl. Cus. Lips. Vossiani b o* 771 reuocentur *o b et ed. Molinii*.

Inepte Iacobus seruauit *et . . . reuocantur*. Scribendum cum Scaligero *ut . . . reuocentur*. Sic saepius praecepta sua firmauit Manilius, ut 751 sqq. *Nunc satis est docuisse ut . . . notetur*. 433 *proxima cura Noscere tutelas* 438 *Pondus uti rebus persona imponere possit*.

II. 772 sqq. sic in Gembl.

Ac uelut in nudis consurgunt montibus orbes
Conditur et uacuos muris circumdare colles
Destinat ante manus quam temptet scindere fossas
Vertit opus ruit ecce nemus saltusque uetusti
Procumbunt solemque nouum noua sidera cernunt.

u

772 orbes *codd. praeter b* orbes *b* urbes *Regiom.* 773 Conditor *Vossiani o b et plerique* collis *o*. 774 Destinet *Cus. Voss.*[1] *o b Regiom. ed. Molinii*. Distinet *Stoeberus* manu *Scaliger* temptat *o Voss.*[2] 775 Vrget opus *Iacobus. fort.* Feruit.

Destinat, non *Distinet*, uerum esse ostendit loci sententia: nam urbem qui in nudo monte condit muros ante animo destinat struere quam manu ad effodiendam terram et limites urbis

designandos se accingat: non autem *distinet;* tantum enim abest ut cunctetur in agendo, ut uix destinato opere iam siluas caedat, arbores deiciat, spatium facturus urbis futurae. Manifesto opponuntur animus quod destinat, manus quod perficit. Itaque hic quoque standum cum Gembl.

Vertit opus eodem uitio ex *Feruit* immutatum, quo *uicta* ex *ficta* V. 741, *uides* ex *fides* V. 647. Vergilium imitatus est G. iv. 169 *Feruit opus, redolentque thymo fragrantia mella,* ubi *Feruit* habent schedae Vaticanae.

II. 784–8 sic extant in Gembl.

Sic mihi cunctanti tantae succedere moli
Materies primum rerum ratione remota
Tradenda est, ratio ne sit post irrita neue
Argumenta nouis stupeant nascentia rebus.

784 cunctanti *Vossiani* c̄ctanti *Cus.* intractanti *o* mihi tractanti *Regiom. Molin. num* captanti? 786 sit ne *Vossiani* 787 superant *Voss.*[1] *num* stupeam?

Cunctanti licet Gembl. cum Cusano tradiderit, tamen aliud quid uidetur latere in *tractanti* quod multos codices inuasit. Marklandus *conanti* emendabat, sed *tractanti* ex *captanti* potius uitiatum reor. Rariorem usum cum infinito Forcellinius ex Ouidio M. x. 50 *prendique et prendere captans,* bis ex Phaedro iv. 8. 6 *Quid me, inquit, stulta dente captas laedere?* v. 3. 2 *Quam opprimere captans,* denique ex Columella viii. 11 *captans undique uoluptates acquirere,* adprobauit: quibus adde Cir. 383 *Tam longo quoniam captat succurrere amori.* In 787 nescio an praeferendum sit *stupeam.* Quid enim? ueretur ne si causas astronomiae ante reddiderit quam dixerit quid agant sidera, necopinantem offendant nouae res quae argumenta ac rationes redarguant. Sic V. 355 *mutarunt* pro *mutarum, imendum* pro *intendit* in utroque Vossiano I. 108.

II. 813–815 sic extant in Gembl.

Scilicet haec tutela decet fastigia summa
Quicquid ut emineat sibi uindicet et deus omni
Asserat et uarios tribuendo regēt honores.

814 et deus *codices praeter Voss.*[2] et ał (aliter) *Voss.*[2] omni *Cus. Voss.*[2] omne *Voss.*[1] omnis *b o. Et o quidem bis,* nam *post*

814 *rursus habet* Afferat et deus omnis, *dein* 815. 815 Asserat *Voss.*² Afferat *o b* Asserit *Voss.*¹ reget *Cus. Vossiani* regnet *o b fort.* leget.

Locum plerumque sic exhibent ut in 814 *decus omne*, in 815 *regnet* edant. Illud a Molinio creditur uenisse, *regnet* iam codices nostri *b o* habent. Sed poterat *reget* ex *leget* potius deprauari, metaphora ducta ab eis qui testamento aliquid legantes proprium huius usum legatario tribuunt 'may will and bequeath.'

II. 824, 5

> Quam rata sint fossis scrutatur uota metallis
> Atque ex occulto quantum contingere possit.

Sic Iacobus edidit. Sed *possis* et in Gembl. et in Cus. et in *o* traditum est. Hoc praefero. V. 11 *Summum contigerim sua per fastigia culmen*, III. 108 *et saepe cadentia frustra Officia et cultus contingant praemia quanta Edocet*, III. 445 *niuei dum uellera signi Contingunt* (*menses*). [Nunc uideo idem intellexisse Breiterum.]

II. 829–31 sic extant in Gembl.

> Hinc inter Graias horoscopus editur urbes
> Nec capit externum proprio quia nomine gaudet
> Hic tenet arbitrium uitae hic regula morum est.

v v
829 Hinc *plerique* Hic *Voss.*² horoscupus (? pos) *o*. 830 numine *Cus. Voss.*¹ minime *Voss.*² proprioque uiuere *o*. 831 Hunc *Vossiani* uitae hic *codices praeter o* atque hic *o num* hic et?

Verum in hoc loco seruauit *Voss.*² in quo est *Hic* non *Hinc*. Vitiat decursum uersuum inlata a Iacobo parenthesis 829, 830, et aperte inter se respondent *Hic* 829 *Hic* 831. In u. 830 mire discrepat *o* a reliquis. Quibus ut obsequendum puto, ita non ineptam significationem habet id quod traditur in *o*. Nam si ex hoc scribas *proprio quia uiuere gaudet* euadet haec sententia: tertius cardo siue exortus in Graecia nomen habet ὡροσκόπον, nec admittit in societatem alienigenas (h. e. Romanos) quia gaudet de suo uiuere, h. e. Graeco more et sermone contentus est. Itaque *externum* erit masculinum, *proprio uiuere* idem quod de proprio uiuere in epigrammate quod olim (xii. 78) Martiali adscriptum, nunc incerti habetur. Sic *de suo uiuere*. Et in primo

libro 75 dicit *in desertis habitabat montibus aurum*, prosopopoeia non absimili.

II. 841–843 sic extant in Gembl.

Nec contentus eris percepto cardine quoquam
Interualla etiam memori sunt corde notanda
Per maius dimensa suas reddentia uires.

Per manus demensa *o* ~~diuersa~~ dimensa *Voss.*[2]

Bentleius *maius* in *quadrum* correxit; et est sane *queant* pro *meant* traditum II. 520. Sed aliud latere uidetur: fuitne *radios*? Verg. Ecl. iii. 41 *Descripsit radio totum qui gentibus orbem:* ibi Seruius: RADIO *id est uirga philosophorum, qua geometrae lineas indicant ... inde geometria dicitur, cum non tantum terrae, sed et maris et caeli et aeris spatia metiri consueuerit.* An fuit *moeras*, quo uocabulo Apollinaris Sidonius Carm. xiv. 65, 66 *lunam sic orbe supremo Terdenas tropico prope currere climate moeras* usus est, ubi codices Luetiohanni *myras* tradunt?

II. 849–851 praeter solitum deprauati sic extant in Gembl.

Qua pars occasus interimum quam sub orbem
Descendit mature regit tempora uite
At propria serie uarioque exercita cursu.

849 occasus internimumque *Voss.*[2] inter imumque *Voss.*[1] *Cus. et b* inter unumque *o.*

850 *Sic Voss.*[2], *sed* nature *non* mature regit hec mater tempora *Voss.*[1] regit haec maturae *b o.* 851 Et *Vossiani Cus.* uariatque excercito *Voss.*[2] *ex* uario atque *ut uidetur.*

Locum sic refingo

Qua pars occasus intra est imumque sub orbem
Descendit, regit haec maturae tempora uitae,
Set propera serie uarioque exercita cursu.

Bentleius corrigebat *infra est*, sed codices *int* constanter seruarunt, potuitque ea pars caeli qui ultra occasum est iamque in ima uergit, *intra* occasum (non enim iam est *extra*) dici. In 851 non recte ponitur *At*, cum sequens u. ab eadem particula initium ducat; neque *Et* quod est in plerisque praeter Gembl. rectum credo: fuit potius *Set.* Nec *propria serie* uere existimo traditum, sed *propera*, quod et ad *exercita* accommodatum est, et

cum *uario cursu* ita consentit ut idem dicat aliter. Properat uita per uariam seriem rerum, sed uita matura, non adulescentum, qui plerumque carent negotiis, nec senum, qui negotiis iam defuncti sunt.

II. 852

> At qua perficitur cursus redeunte sub imo.

Immo *redeuntis ab imo:* idem uitium alibi correximus.

II. 856 sqq.

> Omne quidem signum sub qualicunque figura
> Partibus inficitur mundi, locus imperat astris
> Et dotes noxamque facit: uertuntur in orbem
> Singula et accipiunt uires caeloque remittunt.
> Vincit enim †natura genus, legesque ministrat
> Finibus in propriis.

Natura loco non conuenit: *positura* quod Iacobus edidit nimis recedit a litteris codicum. Fortasse *mensura*, sicut in III. 272 *mensura* in marg. Cusani, *natura* in uersu est. Mensura est distributio partium caeli quae metiendo fit.

II. 864 sqq.

> Quae super exortum est a summo tertia caelo
> Infelix regio rebusque inimica futuris
> Et uitio fecunda nimis; nec sola, sed illi
> Par erit aduerso quae fulget sidere sedes,
> Iuncta sub occasu; neu praestet cardine mundi,
> Vtraque praetenta fertur deiecta ruina.

si(y *o*)dera *pro* tertia *Cus. o* 868 neu *Gembl. Voss.*[1] *Cus. o* non *Voss.*[2] pręstet *Cus. Voss.*[1] prestit *Voss.*[2] praestat *Gembl.*

Dicit hic Manilius de regionibus VIII quae cardinibus IV interpositae iacent: et quidem de duodecima ac sexta. Duodecima, a summo caelo tertia ac super exortum sita, aduersam sibi habet sub occasu sextam; quam rem uidere est in tabula III Iacobi. Haec posterior priori illi duodecimae dicitur *iuncta*, (cf. 871 *Nec melior super occasus, contraque sub ortu Sors agitur mundi*) quia inter se mutuo respondent ex contrariis partibus caeli, sicut quae secuntur VIII et II: neque ideo duodecima praestat sextae quod est iuxta cardinem Mercurii siue Horoscopon, ex quo

pendent omnia: nam utraeque, ut uerbis utar HUETII, sunt ἀποκλίματα siue loci deiecti, duodecima cum ab ea descensus sit ad regionem Mercurii, quo in descensu praetentam habet ruinam; sexta autem cum ab occasu omnia iam decliuia sint descendenti. Itaque scribendum erit *neu praestet cardine mundi*, h. e. neue superior sit duodecima eo quod proxima est Horoscopo; siue mauis ad *Vtraque* referre, erit, neue praestet altera utra alteri: nam hoc quidem in dubio est. *Praestet* habent plerique codices et *o*: hinc corrupte *praestat* (Gembl.) *praestit* (Voss.[2]).

Post regiones XII et VI, pergit ad VIII et II.

II. 872–874

praeceps haec illa superna
Pendens aut metuit uicino cardine finem
Aut fraudata cadet.

sic Gembl. superna *Gembl. Cus. Voss.*[1] *o* supina *Voss.*[2] superne *Scaliger* 873 fraudat accadat *Voss.*[2]

Secunda *praeceps* dicitur, cum infra Horoscopon iam sit et in ima feratur, *illa* octaua *superne pendens* nondum facto descensu ad occasum. Haec altera *metuit uicino cardine finem* in Occasu, illa prior (II) infra Horoscopon posita et ipsa prospicit finem in cardine Saturni, sed interueniente tertia regione (III) *fraudata* eo *caret*.

Itaque CARET pro CADET reponendum.

II. 874 sqq. sic extant in Gembl.

merito typhonis habentur
875 Horrendae sedes quem tellus saeua profudit
Quum bellum caelo peperit nec matre minores
Exstiterint partus sed fulmine rursus in altum
Compulsi montesque super rediere cadentes
Cessit in tumulum belli uitaeque typhaeus.

877 Exstiterint *Vossiani* Extiterint *Cus.* Exstiterunt *o* exstiterant *Regiom. Neap.* 879 Cessit et in *cett.* tumulum *codices cum editionibus Regiom. Neap. Molin. an* cumulum? thipheus *o* tropheus *Voss.*[2]

Quod Gembl. Cus. Vossiani praestant *Exstiterint*, sitne in *Exstiterunt* quod *o* habet, an in *Exstiterant* quod Re-

giomontana editio cum Neapolitana corrigendum, in dubio est. II. 730 *defuerant* est in Gembl. et plerisque, *defuerint* in *o*, ut hic quoque reponendum fortasse plusquam perfectum sit. Sic V. 605 *extollit* Gembl. et plerique, *exstillat* Voss.[2], II. 949 *mersit* Gembl. et plerique, *mersat o*.

879 Bentleius recte traditum credidit, et qui toties alias odoratus sit barbariem, hic nihil nisi 'audacem figuram' reperire se profitetur. At quis unquam dixit *in tumulum cessit belli uitaeque* ut hoc significaret, uitam suam bellumque cum ea sepulchro condidit? Contra *in cumulum cedere* uel *accedere* optimae latinitatis est. Cic. de leg. agrar. ii. 23. 62 *omnes urbes agri regna denique, postremo etiam uectigalia uestra uenierint, accesserint in cumulum manubiae uestrorum imperatorum.* Similia sunt Liu. vi. 34 *poena in uicem fidei cesserat.* Plin. H. N. xxxv. 91 *ipsa iniuria cessit in gloriam artificis.* Tac. Hist. i. 11 *Italia in pretium belli cessura erat.* ib. 70 *Noricos in cetera uictoriae praemia cessuros.* Manil. III. 24 *omnis In populi unius leges ut cesserit orbis.*

Sed ualde dubito num recte in plerisque traditum sit *typheus*. Nam *Voss.*[2] habet *tropheus*, unde *tropaeis* facile elicias. *Cessit* (Typhon) *in cumulum tropaeis belli uitaeque*, cum uictoriae quam di ex gigantum et Typhonis uita reportarant ipse Typhon tanquam cumulus accessit sepultus sub Aetna monte. Dixeris; at male sic procedit oratio, cum ab Typhone u. 876 transitum sit ad ceteros Gigantas, 879 autem ad *Cessit* requiratur nouus nominatiuus, et *Typhoeus* cum ui claudat sententiam.

Verum hoc est, nec sine noua ope codicum MSS recipiendum *tropaeis*. Sed hic ipse Typhoeus, nonne potuit sic dici *cumulus belli uitaeque*, quia post subactos ceteros qui cum eo stabant ipse ultimus extitit cumulus uictoriae quam ex bello ac uita hostium di reportarunt? 'Typhoeus consummated the gods' triumph over war and life.'

II. 881, 2 sic extant in Gembl.

Atque refulgentis sequitur fastigia caelo
Proxima nec ipsi caedat qui fungitur astro.

881 Atque refulgentis *Voss.*[1] Atque refulontis *Voss.*[2] Atque

refulgenti *Cus. Regiom. Neap.* Atque fulgenti *o* At quae fulgenti *Scaliger* At quae fulgentis *Bentleius.* 882 nec *Cus. Voss.*[1] non *Voss.*[2] ne *o* uix *Bentleius* cui iungitur *Huetius et Bentleius.*

Videtur describere regionem xi. Si Scaligerum sequimur scribentem

At quae fulgenti sequitur fastigia caelo
Proxima

uerba sic interpretor, *at quae proxima* est *caelo* ubi *fulget* luce purissima, (hinc enim *fulgenti*) *sequiturque* siue aspirat ad eius *fastigia.* Nam *caelo* uix ausim in *caeli* mutare contra codices; habetque explicationem suam genetiuus *refulgentis* ex proximo *sequitur*, cuius *s* facile cum *refulgenti* cohaerere potuerit.

Cetera sic scripserim

non ipsi cedat cui f*i*ngitur astro

astrum cui fingitur siue adfingitur est Iouis: cuius ingenti potentiae ne ipsi quidem cessura est.

[Semper tamen dubium me habuit illud *refulgentis*, pro quo *refulontis* est in Voss.[2] cui uni ante omnes fidem Iacobus habuit, et constat in uno eo multa remansisse quae ex ceteris abolita sint. Ex hoc *reflantis*, et mox *uestigia* elicio, sc. Typhoei anhelantis. Dixerit aliquis: at Typhonis sedes regio est ii, quae a summo caelo discreta est i regione Horoscopi, dein xii porta Laboris, xi Iouis domicilio. Itaque uix potuit dici regio xi quae Ioui adfingitur Typhonis sequi uestigia (sic enim, non *fastigia* scripserim; uide me ad Ibin 365) cum tot interuallis seiuncta sit. Verum hoc sit: sed tamen Manilius certum ordinem regionum non est secutus, cum post oppositas regiones laboris {xii et vi}, Typhonis duae {ii, et viii} post has autem xi et v, tum ix et iii, x et iv, i et vii numerentur. Potuitque uerba

At quae reflantis sequitur uestigia caelo
Proxima

ad iniectam mentionem Typhonis (874, 879) accommodare,

sumpta occasione sic ad regionem xi, quae summo caelo est proxima, transeundi, hoc sensu: 'At quae regio uestigiis instans Typhonis uiam ad excelsa caeli adfectat:' nam is iter moliri in Olympum conatus erat. *Rēflantis* eadem mensura positum qua *rēflexit* apud Lucret. iii. 501, *rēflorescente* apud Sil. xv. 738.]

Non in *nec* deprauatum est, ut in loco difficillimo I. 70–72.

uariosque dies incertaque noctis
Tempora, *non* similes umbras, iam sole regresso,
Iam propiore, suis poterant dignoscere causis.

ubi in omnibus codd. *nec* traditur.

II. 886

Quocirca minime mirum si proxima summo
Atque eadem interior ueneranda sorte dicatur.

Sic Gembl. et ceteri codices nisi quod *o* habet *minimeimirum*. Fuitne *minime id mirum?*

897, 8 sic extant in Gembl.

Demonien memorant grai Romana per ora
Quaeritur in uersu titulus.

897 grai *o et Cus.* 898 inuerso *Voss.*[1] *Cus. o* inuersu *Voss.*[2] Bentleius tanquam unice uerum tuetur id quod habet Gembl. et Voss.[2] *in uersu.* Suboritur tamen dubitatio num uersuum hic mentionem Manilius iniecturus fuerit. Quanquam enim III. 40–42 dicit *Et si qua externa referentur nomina lingua Hoc operis, non uatis, erit; non omnia flecti Possunt et propria melius sub uoce notantur*, uersibus tamen 916, 7 qui locus est simillimus nostro *Huic parti Dea nomen erit Romana per ora, Graecia uoce sua titulum designat eundem*, 937 *titulus quem Graecia fecit Daemonium*, de poesi nihil dictum est. *inuerso* autem (nam generaliter hic loquitur, ut etiam 885 *proxima summo*) optime usurpare potuit de eo quod tralatum est a Graecorum sermone in Latinum. Tac. Ann. xv. 63 *pleraque tradidit quae in uulgus edita eius uerbis inuertere supersedeo.*

II. 898–900 sic extant in Gembl. et Cus.

sub corde sagaci
Conde locum numenque dei nomenque potentis
Quae tibi posterius magnos reuocantur ad usus.

899 demonemque *Voss.*[1] totumque *b o Reg. Neap.*

u. 899 mire congruit cum Lucretiano iii. 145 *Paret et ad numen mentis momenque mouetur.* Vix sane persuadere mihi possum Manilium non scripsisse, ut est in Lucretii uersu, *momen.* Adde quod *b o* et uetustissimae editiones *totumque* habent, cuius fons potuit esse *motumque* ortum ex *momenque.* Mox *reuocantur* quod uniuersos codices occupauit in *reuocentur* et Bentleius et ego et praeter unum Iacobum omnes correximus. Etiam III. 43–45 *Nunc age subtili rem summam perspice cura Quae tibi praecipuos usus monstrata ministret Et certas det in arte uias ad fata uidenda Si bene constiterit uigilanti condita sensu,* uix recte Gembl. et uetustiores *ministrat—dat* habent; nam ut illic *det* inueni in utroque Vossiano, in *o* autem *ministret—dat,* unde uerum potest esse quod est in *b ministret—det*; sic si hoc neges, non prorsus similes sunt loci, cum in III. 43–45 subnexa sit clausula conditionalis, *Si bene constiterit.*

II. 901 sqq. sic Iacobus edidit

Hic momenta manent nostrae plerumque salutis
Bellaque morborum caecis pugnantia telis
per tanta pericula mortis
Viribus ambiguum geminis causaeque deique,
Nunc huc nunc illuc sortem mutantis utraque.

902 *sic Gembl.* telis pugnantia telis *Voss.*[1] *Cus.* terris pugnantia caelis *o* tetris p. telis *b Regiom. Neap. Versum dimidiatum ex Voss.*[2] *restituit Iacobus: in Lips. unius uersus spatium* 903 iribus *Cus.* geminum *Gembl.* causasque *Gembl. Voss.*[2] *et sic Lipsiensis s erasa* causaque *Voss.*[1] *Cus. b o* casusque *Bentl.* causaeque *Iacobus* deique *Gembl. Cus. Vossiani* dieique *o* diei *b* ambigua in *Bentleius* casusne deine *Breiterus.* 904 utrāque *Gembl.*

Pro explorato habeo non uno modo traditum fuisse u. 902. Quid enim? unde tot codices inuasit illud *tetris* siue *terris?* Nonne per antithesin quandam, cum in fine uersus legerent *celis*, in priorem partem *terris* intulerunt? Non enim ex *caecis* conflatum est, neque uero ex *telis.* Vel illud quod habet Voss.[1] cum Cusano *telis pugnantia telis* unde prouenit? Quod nisi Gemblacensis *caecis p. telis* daret, com-

paratis Voss.[1] et Cus. cum *o* eliciendum esset *telis pugnantia caeli*, cum ex *corrupto caeli tractu* Aen. iii. 138, Luc. ii. 200 *caeli terraeque lues*, lues et morbi oriri dicantur. Disertissime Lucretius vi. 1094–6 *Et contra quae sint morbo mortique necessest Multa uolare: ea quom casu sunt forte coorta Et perturbarunt caelum, fit morbidus aer.* Itaque duo uidentur tradita fuisse (1) id quod habet Gembl. et Voss.[2] *caecis pugnantia telis*, (2) *telis pugnantia caeli.*

uersum dimidiatum *per tanta pericula mortis* Breiterus de emendat. Manil. p. 17 ex loco suo tralatum credidit, cumque 952 imperfectum tradiderint codices *Et finem uitae retinet*, cum hoc coniunxit, ultimo uocabulo *mortis* omisso

Et finem uitae retinet per tanta pericla.

Sed neque huic loco aptus est, neque est cur Vossiani[2] librarium hic putes errasse, in ceteris diligentem ; et periisse nonnulla post 902 alia ostendunt, praecipue illa *Viribus ambiguum geminis.* Ea Bentleius emendabat scribendo *Viribus ambigua in geminis*, h. e. bella morborum. Quae emendatio nec per se probabilis, et post repertum istum dimidiatum uersum non iam necessaria inuenitur. Videtur enim excidisse neutrale, quo referatur *ambiguum*, siue[1] *genus* siue *tempus* siue quid huiusmodi fuit. Sed eximie Bentleius *casusque deique* scribebat secundum Met. xiv. 162 *qui te casusue deusue Seruat, Achaemenide?* cui emendationi non praetulerim Iacobi coniecturam *causaeque* (Celso *causa* morbus est iii. 3 *haec quidem sanis facienda sunt, tantum causam metuentibus*, iii. 2 *donec omnis causae motus finiatur*), nec Italorum (si modo fuit) *dieque*, cum febres quotidianae tertianae quartanae ex diebus dicantur.

II. 905–910 sic extant in Gembl.

Sed medium post astra diem curuataque primum
Culmina nutantis summo de uertice mundi
Aethera phebus aut sub quoque corpora nostra
Decernunt uitia et fortunam ex uiribus eius
Concupiunt, deus ille locus sub nomine graio
Dicitur.

[1] Fuitne *Tabificumque genus?*

906 nutantis *Cus. Voss.*[1] mutantis *Voss.*[2] *o.* 907 Hęthera *Cus.* aut *codd. praeter b* adit *b* habet *Regiom. Neap.* amat *Bonincontrius* sub quoque *codd.* sub quo quia *ego.*

Loquitur hic de regione Phoebi siue nona, cui aduersa in caelo est regio Phoebes (910 sqq.) siue tertia. Haec regio IX adiacentem sibi habet ex altera parte Venerem in qua meridies, (X) ex altera Typhonem (VIII). Post Typhonem numerantur ordine Plutonis VII, tum VI V IV usque ad cardinem Saturni, inde III II I usque ad cardinem Mercurii. Hunc ordinem si sequimur, regiones prima ad octauam Phoebi regionem anteeunt, cum sit nona; reliquas autem X XI XII *post* se habet. Iam si, ut supra dixit, semper *dextris censentur signa priora*, octo illae regiones dextrae erunt huic IX siue Phoebi: sinistrae X XI XII. Itaque scribendum erit

> Sed medium post *dextra* diem curuataque primum
> Culmina mutantis summo de uertice mundi
> Aethera Phoebus habet.

h. e. Phoebus tenet loca dextra post medium diem; nam quae *sinistra* sunt post meridiem ubi Veneris est regio iam descripsit 881 sqq. Certe si *post* a sequente uocabulo distrahendum erat, nec *astra* nec *castra* nec huiusmodi nomen locus recipit, sed aut adiectiuum, aut participium; quo si careat, obscurus fit sermo, nec intelligitur ad *medium diem*, non quo debebat, ad sequens uocabulum, referri praepositionem. Ceterum *dextra* ex *de astra* uitiatum puto, sicut in Catull. lxviii. 143: cum enim *de* non perspiceretur quid esset, omissum est, *astra* remansit. Sequentia *curuataque primum Culmina mutantis summo de uertice mundi Aethera Phoebus habet* recte sic refinxit Iacobus; quamuis enim *nutantis* sit in Gembl. et plerisque praeter Voss.[2], praeualet hic huius optimi codicis auctoritas, adstipulante praesertim *o*; non est enim parui quod idem Voss.[2] solus seruauit truncum illum uersiculum *per tanta pericula mortis*, sine quo *ambiguum* in 903 explicari nequit. Mox *aut* ex *auet* et hoc ex *habet* ortum credo.

Facilius emendantur quae secuntur. Primum enim *sub quoque* est *sub quo quia*, cui apodosin faciunt illa *deus ille locus sub*

nomine Graio Dicitur. Tum *Decernunt* nihil habet offensionis; decernunt sibi uitium corpora quae destinant sibi sortem uitii 'determine their lot for evil' siue 'draw their fixed assignment of evil.' Decernere dixit Martianus Capella i. 8 de planeta Mercurio *neque eum sine Apollinis consilio quidquam debere decernere*. Firmic. Mathes. I. 4 fin. *hinc uario cursu uita hominum fortuna semper decernente transigitur*. I. 5 *stellarum decernentium leges*. II. 30 *ostendentes quid quaeque stella, suscipiens tempus ab alia stella, decernat*. Sed *concupiunt* nec latinum satis nec aptae significationis est: neque tamen *concapiunt* receperim, cuius haud scio an exemplum reperiatur, sed *concipiunt*, quod habent editiones uetustae, Regiomont. et Neapolitana. Etiam alibi sic scriptum inuenitur: sic *Concupiunt* pro *Concipiunt* habent aliquot codices Lucani v. 105, uelut Bodl. Auct. F. 29 Conc$\overset{i}{\text{u}}$piunt.

II. 915 sic est in Gembl.

Fataque damnosis imitantem finibus oris

mutantem *Voss.*[1] imitantem *an* mutantem *sit in Voss.*[2] *uix dispicias*.

Phoeben dicit siue Lunam quae *fata* tristia *imitatur* exprimit *damnosis finibus oris* uultu propter damna lucis non pleno atque in orbem rotundato, sed inciso et fines siue oras habente inaequales asperasque. *damnosis* ad lucis dispendia (Hor. C. iv. 7. 13 *Damna tamen celeres reparant caelestia lunae*) praecipue refertur, sed ut subsit significatio damnorum quae infert gentibus, 'expressing misfortune by the ruinous edges of her face.'

II. 927, 8 sic extant in Gembl. et Cus.

Nomen erit Fortuna loco, quo percipe mentem
Vt breuia in longo compendia carmine praestent.

Immo *praestem*. Vult Manilius in longo carmine quo tot praecepta Astronomiae continentur, unum saltem inesse quod breue sit idemque lucrosum, esse enim percipiendam lectori *mentem* poetae de tutela Veneris, in qua cum Fortuna insit, utpote praeside coniugiorum et thalami, monet legentem, sit quantumuis siderum et sidereae matheseos incuriosus, huius certe astri huiusque potentiae memorem esse oportere. III. 36 *Huc ades, o quicumque*

meis aduertere coeptis Aurem oculosque potes, ueras et percipe uoces.

II. 935, 6 sic extant in Gembl.

prima est tutela duorum
Nascentum atque patrum quae tali condita pars est.

'duorum *ex* deorum *corr. pr. m. expuncto* e *et superscr.* u *pr. m.*' *Thomasius.*

pars est codices, etiam *o*, cum manifesto *partest* requiratur. Nimirum scriptum fuerat PARTEST; hoc in PARSEST, uel fortasse, si seriore demum aeuo error inrepsit, *partest* uidetur abiisse.

II. 939–942 sic sunt in Gembl.

Nunc age surgentem primo de cardine mundum
Respice qua solido nascentia signa recursu
Incipiunt uiridis gelidis et Phebus ab undis
Enatat et fuluo paulatim accenditur igne.

940 solido—recursu *codices* solitos recursus *Bentleius.*

Notabilis locus propter opposita epitheta *uiridis, fuluo.* Sol oriens ex undis colore maris inficitur caeruleo; prouectiore iam die cum orbis calidior factus est, paulatim ex caeruleo fuluus et flammeo magis est lumine. *Viridis* mundus dictus est a poeta Lydiae 39 (Dir. 142) *Sidera per uiridem redeunt quom pallida mundum*, sed de uespertino caelo; hic de matutino. Non innotuerat uersus Manilii Naekio ad Lyd. 39, cuius uerba, ut in poetico sermone curatissimi, libet hic subnectere. '*Viridem* mundum h. e. caelum quum dixit Cato, color quidam intelligendus est, inter cyaneum splendorem, ut Catonis uerbis ex Diris utar, qualis esse solet circa medium diem, et tenebricosum noctis, medius. Iam uero talis et ante ortum solis cernitur, et antecedit occasum solis, duratque post occasum per aliquantum temporis, aut simillimus uiridi, aut uiridis re uera.'

Sed non solum *fuluo* opponitur *uiridis*, sed a sequente uerbo *gelidis* colorem quemdam trahit; cohaerente notione uiridis et gelidi, quam maris aquae communem habent, ut fului et calidi quem sol: de qua reciproca ui adiectiuorum dixi ad Catull. lxiv. 309.

II. 943, 4 sic sunt in Gembl.

Haec tua templa ferunt Maia Cillenie nate
O facies signata nota, quod nomen et ipsi
Auctores tibi dant artes qua ducit Olympum.
In qua fortunam natorum condidit omnem
Natura ex illo suspendit uota parentum.

944 ♀ facies *Iacobus* artes qua ducit *Cus. Vossiani* arces qua ducit *o.*

uu. 944, 5 Bentleius proscripsit. 'Quae enim *facies?* qua *nota?* quod *nomen?*' Principio suspectum est *O*, quod Iacobus emendatum ibat scribendo ♀, quo signo Mercurius siue *στίλβων* notabatur ab antiquis. Id ut adprobaretur, quemadmodum sonaret indicandum erat. An *O* scriptum, ♀ significatum Iacobus putauit? At nuda figura circuli reliqua pars signi uix in mentem legentibus recursura erat. Non enim Mercurium solum, sed et Martem et Venerem, orbiculus designabat: neque Iacobus ostendit *Stilbontis* nomen tali orbiculo adhaesisse. Itaque si *o* circulum significare credas, ad ouum illud potius referas quod inter insignia erat dei Theuth quem Plato in Phaedro 274 dicit *ἀριθμόν τε καὶ λογισμὸν εὑρεῖν καὶ γεωμετρίαν καὶ ἀστρονομίαν*, alii eundem cum Herme siue Mercurio fecerunt. Papyr. Brit. Mus. xlvi *ἐγώ εἰμι Θὼθ φαρμάκων καὶ γραμμάτων εὑρετὴς καὶ κτιστής. ἐγώ εἰμι ῞Ηρων (῞Ηβων?) ἔνδοξος, ᾠὸν ἴβεως, ᾠὸν ἱέρακος, ζῷον φοίνικος ἀεροφοιτήτου.*

u. 945 sic refinxerunt *A. t. d. artis quae d. O.*; sed unde *qua* pro *quae?* Melius sic corrigi potuit, *artis qua ducis Olympum*, cum astronomiae repertor hic deus fuerit. Sed interpolata potius habeo *quod nomen et ipsi Auctores tibi dant artes;* poeta scripserat

O facies signata nota, qua ducis Olympum,
In qua fortunam natorum condidit omnem
Natura, ex illa suspendit uota parentum.

Hic *O* interiectio erit: cetera doctioribus relinquo, cuiusmodi illa nota fuerit, incertus. Est tamen tanti Martiani Capellae locum adferre qui huc quadrare potest ii. 174 *Venit etiam quaedam decens ac pudicissima puellarum, quae praesul domus custosque Cylleniae.*

uerum Themis aut Astraea aut Erigone dicebatur: spicas manu, caelatumque ex hebeno pinacem, argumentis talibus adferebat. Erat in medio auis Aegyptia, quae Ibis memoratur ab incolis. Sed cum petaso uertex atque os pulcherrimum uidebatur, quod quidem serpentis gemini lambebat implexio. Subter quaedam praenitens uirga, cuius caput auratum, media glauca, piceus finis extabat. sub dextra testudo minitansque nepa, a laeua capra. Sed dilofon alitem, quae sit oscinum mitior, in certaminis temptamenta pulsabat. ipsa uero Ibis praenotatum gerit nomen mensis cuiusdam Memphitici. Hanc tabellam cum ingestam sibi conspiceret uirgo uenerata, licet sponsi cognosceret argumentum, tamen non ausa est sine supplicatione transire. quo in loco Koppius duas imagines sigillorum expressit, alteram in qua post Mercurium gallus gallinaceus erectior incedit; in altera eundem Mercurium duo galli ex habenis curru trahunt.

II. 948, 9 sic extant in Gembl.

Vnus in occasu locus est super ille ruentem
Praecipitat mundum terris et sidera mersit.

terris *omnes* mersat *o*

Bentleius correxit *tenebris et sidera mergit.* Stoebero assentior posse quidem *terris* sic retineri ut datiuus sit, significetur autem caelum horizontem tangere: sed et obscurius solito sic dixerit Manilius et *terris* ex *teneris* et hoc ex *tenebris* poterat deprauari. At inutile est Bentleianum *mergit:* unice uerum *mersat*, quod iam extat in codice Coll. Corporis Christi (*o*), siue a correctore profectum, siue traditum antiquitus. Sic Martianus Capella vi. 607 *supra quos sol est, his citius exoritur tardiusque mersatur.* Intendit *mersare* uim principalis uerbi *mergere* potius quam frequentatiuam facit; hoc est *mersitare;* id ostendunt loci quales sunt Catull. lxviii. 13 *Accipe quis merser fortunae fluctibus ipse*, 'am plunged': Hor. Epp. i. 2. 22 *aduersis rerum inmersabilis undis.*

II. 951, 2

Ne mirere nigri si Ditis ianua fertur
Et finem uitae retinet. [mortique locatur].

Verba *mortique locatur* quae neque in ceteris codicibus neque

in *b o* leguntur absuntque etiam ab editionibus uetustissimis Regiomont. et Neapolitana, in Bonincontrii tamen ed. anni 1484 sic leguntur *martique locatur*. Mox in editione Aldi 1499 et Romana 1510 excusa sunt sic, *mortique locatur*. Haec ideo commemoraui, quia uerba ea Bentleius uera habuit, mutato *locatur* in *dicatur*. At poterat *locatur* defendi ex II. 459 *pectusque locatum Sub Cancro est*, III. 75 *Horum operum sortes ad singula signa locauit*.

LIB. III.

III. 3, 4

uestros extendere fines
Conor et indignos in carmine ducere cantus.

Sic Gembl. 4 dignos *Cus. cum Vossianis* inriguos *Scaliger* indictos *b*, *idemque manus recentior adscripsit in marg. editionis Bodleianae Firmicum cum Manilio habentis* carmine *etiam Cus. et Lips.* carmina *Voss.*[2] carmen *Voss.*[1] *Totus u. sic extat in o* Dignos et canor in carmia ducere cantus. Conor et indictos in carmina ducere cantus *b*.

Recte Pingraeus Scaligerum redarguit corrigentem *inriguos*. Dixit quidem Manilius II. 8, 9 (Homeri) *ex ore profusos Omnis posteritas latices in carmina duxit*, *Amnemque in tenues ausa est deducere riuos*; sed huiusmodi metaphorae locus hic non est: et si id uoluisset, *fontes* potius quam *cantus*, positurus fuerat. Nam quod ex Aetna 296 *Carmineque irriguo magnis cortina theatris Imparibus numerosa modis canit arte regentis* citauit Scaliger, id de sonis dictum est qui ex organo hydraulico ope aquarum exprimuntur. Neque uero rectum est *indignos*, licet id tutatus sit Carrio, qui primus reuocauit Antiq. Lect. i. 15, tanquam poeta astronomiam suam parui fecerit. Praeponderat his omnibus id quod in codice Bodleiano (*b*) repperi, Stoeberus autem ex codice

Parisino enotauit, *indictos*. Hor. C. iii. 25. 7 *Dicam insigne recens adhuc Indictum ore alio*. Sed dubito, *indictos in carmine* iunxeritne Manilius, 'unsaid in song,' an *in carmina ducere indictos cantus* is dicatur qui in poema inuehit res a nullo ante uersibus commemoratas, 'to launch in song an unversed argument.'

III. 16

Moenia thebarum et uictam quia uicerat orbem

sic Gembl. et Cus. Scripserat Manilius aut

uictam quae uicerat urbem

quod sic in codice Bodleiano *b* scriptum inueni: aut quod probat Bentleius

uictam quia uicerat urbem.

Hoc argutius, et ad Καδμείαν νίκην refertur. Hesych. s. u. Καδμεῖοι· τὴν δὲ νίκην τὴν Καδμείαν ἀποδιδόασιν ἐπὶ τῆς ἀλυσιτελοῦς νίκης. οἱ μὲν ἐπεὶ Ἐτεοκλῆς καὶ Πολυνείκης μονομαχήσαντες περὶ τῆς νίκης ἀμφότεροι ἀπώλοντο· οἱ δὲ ὅτι τῶν ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας στρατευσαμένων πάντων ἀπολομένων οἱ υἱοὶ πάλιν ἐπιστρατεύσαντες εἷλον τὰς Θήβας, ὡς ἔχειν αὐτοῖς (?) ἀλυσιτελῆ νίκην. Nec tamen certa res est: nam *quia*, *quae* saepissime locum mutant in MSS. Ouid. Nuc. 115 *Me quia non noceo* ubi Heinsianus codex Moreti[1] habet *Me que non noceo*. Manil. II. 907 *Sub quoque* pro *sub quo quia*.

III. 64–66 sic extant in Gembl.

His regimen natura dedit propriasque sacrauit
Vnicuique uices, sanxitque per omnia summa
Vndique uti fatum ratio traheretur in unum.

65 per *om. Cus.* omnia *codd.* *fortasse* omina. 66 ut *Cus. Voss.*[1] fatum *codd.* ne fati *est in ed. Bonincontrii* 1484.

Quod in omnibus codicibus *fatum* exaratum est, cum *fati* sententia postulet, id eodem factum uidetur errore quo in Gembl. II. 903 *Viribus ambiguum geminum* pro *V. a. geminis:* traxit *unum* pariter sonans et eiusdem casus uisum *fatum*. Certe *fatum unum* explicationem non habet; nec potest significari

[1] Hunc codicem anno 1889 Antuerpiae in domo Plantina inueni, et de eo disserui in Diario Philologico Cantabrigiensi eius anni pp. 272–276.

unum corpus fati ad quod mathematicorum ratio trahatur et ei pareat. At *fati ratio* non multum discrepat a *ratione fatorum* quam ex sideribus duci omnem tradit Manilius I. 261: et sensus sic manifestus fit: natura sanxit per auspicia certissima (hoc est *omina summa*, et sic scribendum locus clamat) ut genethliaca ratio in unum coiret efficeretque tanquam ἓν σύστημα τῆς πεπρωμένης. *omina* ad principia artis mathematicae refero, nam secundum Ouidium F. i. 178 *Omina principiis inesse solent.*

III. 68–71 sic extant in Gembl.

> Quaeque opera atque artes quicumque per omnia casus
> Humana in uita poterant contingere sorte
> Complexa est tot et in partes quot et astra uocarant
> Res posuit.

68 'quęcunque *Gembl. sed* ę *in* i (*an* i *in* ę) *mutauit pr. m.*' *Thomasius.* 69 sortem *ceteri codices.* 70 tot et in partes *Voss.*[2] et *om. Cus. o* in tot partes *Voss.*[1] totque in partis *b* quod *Cus.* uocarant *Cus. Voss.*[1] *o* uocarat *Voss.*[2] locarat *b, uti multis post annis correxit Bentleius.* 71 Disposuit *Bentleius.*

Quod u. 69 *sorte* est in Gembl. *sortem* in ceteris, utrumque latinum, sed accusatiuum credo Manilium praetulisse, ut est quaesitior in locutionibus, nec nisi rarissime duos ablatiuos sic neglegenter coniungit. Velleius i. 1 *sortiti sunt uter patria decederet: sors Tyrrhenum contigit*, pari studio solita uitandi. Dubites tamen an non *Humanam* potius scribendum sit; sed hoc nullo codice nititur. Proximo uersu unice uerum est *tot et in partes* (*partis*), non *totque in partes*: ex illo defluxit *et* omisso *tot in partis* quod habent *Cus.* et *o*, *in tot partes* quod *Voss.*[1]; postea succreuit *totque in partes* quod est in *b*. Cetera optime correxit Bentleius; quanquam *locarat* (si quidquam in eo est lucri) diu ante Bentleium correctum fuerat in *b*. Sic II. 382 *secum iungunt* pro *se coniungunt* ante Bentleium is correxit qui id adscripserat ante a. 1600 in margine editionis Romanae a. 1510, qui penes me est, de quo libro ceterisque ibi adnotatis omnia in Epimetro adnexui.

III. 80 sic extat in Gembl.

Atque alius sors quaeque ***** accederet astro

et sic Cus. cum Vossianis nisi quod inter *quaeque* et *accederet* spatium non est.

In *o b* sic traditus est

Atque aliis alio sors quaeque acce(i *o*)deret astro.

Bentleius uersum sic refingebat

Atque alias alii sors quaeque accederet astro,

solita copulatione et Lucretiana, ut vi. 1236 *Ex aliis alios.* Gemblacensem si sequimur, propius ad archetypon accedet

Atque alii sors quaeque alias accederet astro.

Hoc si uere colligo, *alii* in *aliis,* hoc in *alius* deprauatum est. Et nescio quid uenustius sonant uerba hoc posita ordine.

III. 89–91 sic extant in Gembl.

Vt sit cum stellae .VII. leduntue iuuantue
Cardinibusue mouent diuina potentia mundi
Sic felix aut triste uenit per singula fatum.

89 Vt cum *Cus. Voss.*[1] Vtcumque *Voss.*[2] *fort.* Vtcumque it (id). 90 mouet *Voss.*[2]

Verum mihi uideor eruisse comparatis quae habet Gembl. et quae Voss.[2] Nam cum in hoc sit *Vtcumque,* in Gembl. *Vt sit cum,* uero simile est in archetypo fuisse VTCVMQ. IT, unde facile VTCVMSIT procreaturus erat error librarii.

III. 119 sic extat in Gembl.

Atque utcumque gerunt dominantia sydera parent,

utrumque *Voss.*[2] *pro* parent *b o habent* manant, *Voss.*[1] *et Cus. uersum sic exhibent* Atque utcunque ducunt (gerunt *Cus.*) dominantia sidera manent.

Hoc credo sic ortum fuisse; supra *gerunt*[1] scriptum fuerat *ducunt*, quo id explicaretur; tum in fine uersus *parent* (*man* supra scriptum) exaratum est, cum litterae *p r* uix certo legerentur. Pro *parent* Bentleius reposuit *paret;* ut uidetur, rectissime.

[1] Id Scaliger corrigebat in *regunt;* sed uerum potest esse *gerunt.* Att. xvi. 2. 2 *omnia nostra ita gerito, regito, gubernato ut nihil a me exspectes.* Iuuen. iv. 81 *maria ac terras populosque gerenti:* sic enim Pithoeanus.

III. 120–122 sic extant in Gembl.

> Quintus coniugio gradus est per signa dicatus
> Et sotios tenet et comitantes hospitis una
> Iungitur et similis coniungens faedus amicos.

120 ducatus *Cus.* 121 Et socios tenet et comites hospitis una *Voss.*[1], *et sic Cus. et Lips. teste Iacobo.* Et socios tenet comitem hospitis una (*sic*) *Voss.*[2] Et socios tenet et comites atque hospitis una *b o ex interpolatione.*

Locus ex difficillimis. Bentleius sic corrigebat

> Et socios tenet et consortes hospitiisque
> Fungitur et similes coniungit foedere amicos,

nec ad ductus litterarum nec ad prosodiam Manilii satis apte. Stoeberus ex cod. Parisino reduxit id quod ego in *b o* inueni

> Et socios tenet et comites atque hospitis una
> Iungitur et similes coniungens foedus amicos,

sed nec *Iungitur coniungens* possunt in eodem uersu constare, nec uerum est illud *atque*, sed interpolatum, ut mirer Thomasium quoque, quasi uestigiis Gemblacensis insisteret, *atque* reposuisse, sequentem uersum sic refinxisse

> Dat iura et similes coniungens foedus amicos.

Iacobus *hic* uel *hoc* ante *hospitis* ratus est excidisse, ut tamen *Iungitur coniungens* relinqueret.

Mihi *Iungitur* manifesto corruptum uidetur; sed quid sub eo lateat, haereo. Poterat esse *Ducitur:* uel *Ius datur.* Illud si fuit, scripserim

> *hinc* hospitis una
> *Ducitur* et similes coniungens foedus amicos,

hoc si praeferas,

> *huic* hospitis una
> *Ius datur* et similes coniungens foedus amicos.

III. 169.

> Ergo age ne falsa uariet genitura figura.

uaria codices et editiones uetustae, etiam Moliniana a. 1551. nisi quod *uara* est in Voss.[1] Primus id Carrio correxit in *uariet* Antiq. Lect. i. 15 secundum III. 233 *Nec nocturna minus uariant quam tempora lucis.* Hoc ideo commemorandum duxi quod in

Manilii carmine purgando non inutilem neque ignobilem operam Carrio posuit, uir Scaligero inuisus, neglectus Iacobo.

III. 171, 2.

Fortunae conquire locum per sidera cuncta
Quae primum pars est numerosis dicta sub athlis.

171 perquire *Cus. Voss.*[1] *b o.* 172 primo *b o* primu *uel* prium *Voss.*[2] numero sic *o* numero sis *Cus.* ducta *ed. Regiom.*

u. 172 Bentleius spurium habuit, cum praecessisset 96 *Fortunae sors prima data est*, numerosa autem athla perperam dicerentur, quae tantum XII essent. Saepius tamen solet Manilius sic repetere quod ante dixerat, nec *numerosis* necessario ad magnam multitudinem refertur, quamuis I. 383 *numerosa sidera*, IV. 925 *numerosos aeris aceruos* uocauerit. Sic Niobe dicitur Nemes. Cyn. 15 *Numeroso funere maesta*, mater liberorum XIV: adulescens multarum artium in Inscript. Grut. 655. 3 ap. Forcellinium *res numerosa*, cum V tantum numeratae sint artes in quibus se sollertem praestiterat: sic Plinio *numerosa* dicitur summa XII uentorum H. N. ii. 119. Et nostro quidem loco respexit Manilius ad longam seriem qua XII athla alia post aliud explicantur: quae series si uersus non minus sexaginta quattuor consumpsit (96–159), non immerito *numerosa* uocanda erat, sequentibus numeris perpetuo ordine a primo usque ad duodecimum. Ad structuram quod attinet, uerba sic iunges: *locum Fortunae quae pars est primum dicta sub numerosis athlis*, h. e. inclusa sub longa numeratione XII athlorum.

III. 195.

Si quis erit qui tum materno excesserit aluo,

materno codices omnes: neque est cur Manilio id non licuerit quod, ut nihil dicam de Plauto (Pseud. 823) Catone Attio Laberio, licuit etiam recentioribus, Caluo ap. Charis. 61 *partus grauido portabat in aluo*, Heluio Cinnae (Charis. 61, Prisc. 718) *At scelus incesto Zmurnae crescebat in aluo*, Columellae x. 146 *Florida cum suboles materno pullulat aluo* (al. *aruo*). Cf. Neuii Formenlehr. i. p. 677 ed. 2, Nettleship *Contributions to Latin Lexicography p.* 146. Sane non minus *obscurae auctoritatis* Manilius fuit quam is cuius uersiculum Nonius citauit 193 *Maia*

nemus retinens grauido concepit in aluo. Feminino tamen posuit Manilius *media aluo* III. 377, *patulam aluum* II. 253; neutro loco de mulieris utero dicens, ut hic (III. 195) fecit, et ante eum fecerant Caluus et Cinna et incertus ille apud Nonium.

III. 203 sqq. sic extant in Gembl. et Cus.

> Forsitan et quęras agili rem corde notandam
> Qua ratione queas natalis tempore nati
> Exprimere inmenso surgentem horoscopon orbe
> Quod nisi substellis uisum ratione tenetur
> Fundamenta ruunt artis nec consonat ordo.

204 *natalis* Vossiani duo, Cus. *o natali* Lips. m. pr. et *b a tali* Scaliger.

205 *immerso* Scaliger 206 *substellis* codices *subtili* Scaliger *uisus b o.*

Tres hic coniecturas Scaliger proposuit, *a tali* 204, *immerso* 205, *subtili* 206. Et prima quidem recipienda uidetur cum horridius sonet *natalis tempore nati*, sensu autem non dissimili positum sit *tali* III. 337 *uariosque referre Sub tali regione dies*, 'at a given time,' 'under the supposed quarter.'

Sed incerta sunt *immerso, subtili;* neque unquam ego *sub stellis* uidi ex *subtili* ortum, ut Scaliger arrogantius adseuerauit. Merito Fayus et post eum Stoeberus *immenso* tutantur ex u. 215 *tantae molis minimum deprendere punctum*, cum in utroque loco respiciatur immensitas caeli, cuius in tanto orbe tantaque multitudine siderum horoscopus uix indagetur. Scio I. 829, 830 *caelumque rediret Immensum et somno totum deprenderet orbem*, II. 46 *Quin etiam tenebris immensum tartaron*, fortasse etiam I. 176, 7 *Nec matutinis fulgeret Lucifer horis Hesperus immenso dederat qui lumen Olympo*, eodem errore corrupta credi *immensum immenso.* At ne haec quidem explorate uitiosa sunt. Nam I. 176, 7 adeo non placuit Bentleio illud *immerso*, praesertim praeeunte *submersos* in u. 175, ut de suo reponeret *emenso*[1]. Sed retineri potuit *immenso:* nam qui mane inter pauca fulget Lucifer sidera, idem nocte totum caelum illuminat, inter innumera sidera conspicuus Hesperus.

[1] Ex ultimo uersu libri V suspiceris pro *immenso* scribendum esse *incenso.*

Denique uersu 206 optime legitur in codicibus

Quod nisi sub stellis uisum ratione tenetur,

cum expresse inter se opponantur *sub stellis uisum* et *ratione tenetur.* Prius enim *sub stellis*[1] h. e. loco suo inter stellas caeli uestigant oculi ubi signum horoscopans sit; deinde hoc animo ac *ratione* astronomica *tenetur.* Martian. Capell. vi. 579 *uidebis istic depingi quidquid uerbis uisum non ualeas explicare.*

III. 211–217 sic extant in Gembl.

Sed quanta effectu res est tam plena laboris
212 Cursibus aeternis mundum per signa uolantem
Vt totum lustret curuatis arcubus orbem
Exprimet et uultus eius componere certos
215 Ac tantae molis minimum comprendere punctum
Quae pars exortum uel quae fastigia mundi
Auferat occasus aut imo sederit orbem.

213 Vt *Voss.*^{2} *b o.* Et *Voss.*^{1} *Cus.* 214 Exprimet *codices praeter b o* Exprimat *b* Exprimere *o cum ed. Regiom. et Romana anni* 1510, *et sic corrigebat Carrio Antiq. Lect.* i. 15 certus *Voss.*^{2} *o.*

215 deprendere *Vossiani, b o, quod et Carrio malebat.* 217 Aut ferat *Regiom.* ima *Voss.*^{1} *Cus.* orbem *Cus. Lips. Vossiani* orbe *b o.* 216, 217 *tanquam spurios damnauit Breiterus.*

In hoc loco pleraque iam correcta habet *o.* Nam 213 *Vt,* 214 *Exprimere,* 215 *deprendere,* sic sunt in *o.* Et *deprendere* quidem tam constanter praestant ceteri codices, ut *comprendere* quod est in Gemblacensi uix potuerit nisi ex repetita prouenire syllaba *com* a qua incipit *componere* in 214; accedit quod *deprendere* editum est etiam in editionibus Regiomontana et Romana a. 1510. Mireris igitur in ed. Molinii a. 1551 corrupte extare *Exprime;* et Carrionem Antiq. Lect. i. 15, qui liber Antuerpiae prodiit 1576, potuisse dicere 'legendum conicio

[1] Retinendumne est I. 612 *mediumque sub astris Centaurum?* Scio plerosque Scaligeri emendationem recepisse *sub austris:* sed uerba *medium sub astris Centaurum* non male interpretaberis eam partem Centauri qua parte medium eius corpus astra definiunt.

Exprimere.' Adeo aut latuerat aut obsoleuerat emendatio etiam certissima.

Vltimi uersus 217 incerta est retractatio. Nam quod habet Regiom. *Aut ferat occasus aut imo sederit orbe* uix satis Manilianum; nec omnino placet Bentleianum illud *aut imum obsederit orbem.* Scribendumne est

Quae pars exortum uel quae fastigia mundi
Aut *f*erat occasus aut im*um in*sederit orbem?

III. 241 sqq.

Quum tamen in quocunque dies deducitur astro
Sex habeat supra terras, sex signa sub illis.

Polyb. ix. 15. 8 ἀνίσων οὐσῶν τῶν νυκτῶν, ὅμως ἐν πάσῃ τῇ νυκτὶ τῶν δώδεκα ζῳδίων ἓξ ἀναφέρεσθαι συμβαίνει.

III. 247–251 sic extant in Gembl.

Nec tibi constabunt aliter uestigia ueri
Ni lucem noctemque paris dimensus in horas
In quantum uario pateant sub tempore noris
Regulaque exacta primum formatur in horas
Quae signemque diem sedem perpendat et umbras.

248 demensus *Voss.*[2] 250 exacta *Cus. Lips. Vossiani* exactas *b o.* formetur *codd. praeter Gembl.* exactas in horas *Scaliger* exacta in hora *Bentleius* '*nisi regula formetur in hora exacta siue*

m m

aequinoctiali.' 251 segnemque *Vossiani, Cus., o* segnesque dies *b* sedem *Cus. Lips. Vossiani* sedes *o* segnes *b et codex Parisinus.* perpendet *Voss.*[2] Quae segnemque diem segnes perpendat et umbras *Fayus* Quae similemque die sedem perpendat et umbris *Breiterus.*

Temere Iacobus *exacta* nominatiuum retinebat, producta *a* ante *primum.* Nam quod unum adfertur exemplum huiusmodi a Cramero *de Manilii elocutione* p. 18, I. 90 *Semper enim ex aliis alia proseminat usus* uitio sic traditum esse non dubito. Nec Bentleii placet ratio *exacta in hora* scribentis, et 'aequinoctiali' interpretantis; quod et arbitratu suo ita interpretatus est, et nullus sic locus erat praepositioni *in*, sed exspectandum potius erat *ab.* Aut uerum reor id quod habent *b o* et cod. Paris. cum

editionibus antiquissimis *exactas in horas* h. e. constituatur regula quae pendeat ex dimensione horarum, prout longiores dies breuioresue fuerint; aut, quemadmodum *formatur* est in Gembl. pro *formetur*, sic *exacta* uitio scriptum est pro *exacte*, quo aduerbio, sed in comparatiuo, usus est Mela i. 1. 2 *dicam autem alias plura et exactius, nunc ut quaeque erunt clarissima et strictim* 'and unless a scale be formed by strict measurement adjusted to hours, apportioning the length of the longest day, and the longest night.'

u. 251 recte uidetur emendasse Fayus, fortasse ex Parisino codice, nam ut 248 dixit *Ni lucem noctemque paris dimensus in horas*, sic hic dies, umbrae alternis perpenduntur. Segnes sunt dies Cancri principio, noctes Capricorni.

III. 271 sqq. sic extant in Gembl.

Atque haec illa demum est mensura per horas ·
Quas rigat aestiuis gradibus torrentibus amnis
Nilus et erumpens imitatur sidera mundi
Per septem fauces atque ora fugantia pontum.

271 illa *Voss.*[1] *Cus.* natura *marg.* mensura *Cus.* Atque haec illa demum mensura *Voss.*[2] Atque haec est illas d. m. per oras *b o* Atque haec Niliacas demum est m. per oras *Bentleius.* 272 Qua *ed. Rom.* 1510 aestiuus *Cus. b o* grauidus *Scaliger* āniis *Voss.*[2] ānis *Cus.* Qua . . . arua *Bentleius et in* 273 Amnis.

Bentleio *illa* in *Niliacas*[1] refingente simplicius sic uerba corrigo

Atque haec illa*rum* demum est mensura per oras

illarum sc. horarum.

III. 283

Et totidem amittunt gelidas uergentia in umbras.

Nusquam magis perspicitur praestantia codicis Vossiani[2], qui unus habet *gelida uergentia:* ceteri uitiose *gelidasque rigentia.* Itaque dolendum est quod u. 277

Ne magna in breuibus careant compendia dictis

obscurius exaratum est in hoc codice *careant*, quamuis sic

[1] Potuit *Isiacas;* sic non tollendum erat *Nilus* in 273.

potius, non *curcant*, uti Iacobo uisum est, natantes et incertas litteras legerit Falconer Madan cuius oculis in hac crisi palaeographica multum tribuo. Et *careant* quidem cum Gembl. Cus. Lips. habent etiam *b o* et cod. Parisinus; unus Voss.[1] *cadant* fortasse ex praecedente uersu. Bentleius *pereant*, Iacobus *lateant*, ego *iaceant* diuinauimus: sed *latent* potius quae in magnis insunt parua; *iaceant* h. e. negligantur uix satis Manilianum: *pereant* nec longe abest a ductibus litterarum et ad sententiam facillimum est.

III. 292–294 sic extant in Gembl.

uel ori/endi
Occiduusque aries spatium tempusque canendi
Quod tenet in tantum chelae consurgere praestat
Eius in exemplum se signa sequentia uersis.

uel orundi
292 oriendi *Voss.*[1] *o* oriendi *Cus.* cadendi *Voss.*[2] *b.* 293 perstet *Voss.*[1] perstat *Voss.*[2] *b o Cus.* perstant *ed. Regiom. Scaliger.* 294 uersis *codices omnes* uersant *ed. Regiom. Scaliger* uertunt *Bentleius.*

Hos tres uersus singulos uitium suum insedit; 292 *oriendi*, quod male Scaliger in ed. 2 corrigebat in *ruendi*, cum ex manifesto errore librarii ortum sit, haesitantis utrum *ori* an *ca* exaratum esset in codice quem describebat. Rectissime reuocauit Bentleius *cadendi*[1] quod non solum ex Gembl. confirmatur sed sic scriptum inest Voss.[2] et nostro *b.* 293 *prestat* siue *perstat*, quod iam correctum in *perstant* habet ed. Regiom. 294 *uersis*, pro quo *uersant* eadem Regiomontana editio habet, melius Bentleius correxit in *uertunt.* Id ex male intellecto compendio *uertit*, post *uersis* factum est. Itaque locus sic euadit.

Occiduusque Aries spatium tempusque cadendi
Quod tenet, in tantum Chelae consurgere perstant.
Eius in exemplum se signa sequentia uertunt.

III. 309–312 sic extant in Gembl.

Illi perpetua iungantur pace diebus
Obscurae noctes aequo stat faedere tempus

[1] In Voss.[2] *cadendi* ita exaratum est ut ab *oriendi* exiguo distet discrimine.

Nec manifesta patet falsi fallacia mundi
Nec similis simili toto nox redditur aeuo.

309 'Illi *ex* Illa *corr. pr. m.*' *Thomasius.* Illi *Vossiani.* Illis *o b* iungantur *codices nostri omnes* iunguntur *ed. Regiom.* 311 pellacia *Wakefieldus ad Lucr.* ii. 557. 312 Et *scripserim pro* Nec
uer
uu. 311, 312 *Bentleio spurii uisi sunt.* 312 redditur anno *b* uertitur *om.* aeuo *o.*

Verum potest esse *Illi* quod ex omnibus suis codicibus Iacobus reuocauit: simileque est *illi* quod a Iacobo neglectum in Vossiano[1] extare testor iii. 376. Ex Cicerone quod adtulit Handius (Tursellin. iii. 204) Fam. viii. 15. 2 *Bellienus—Domitium quemdam, nobilem illic Caesaris hospitem—comprehendit,* Mediceus quidem habet *illi,* sed poterat *c* ante *Caesaris* excidere.

At in uersu Lucretii i. 1065 *Illi cum uideant solem, nos sidera noctis Cernere et alternis nobiscum tempora caeli Diuidere et noctes parilis agitare diebus,* tanta est consensio loci cum Maniliano, ut uideatur hic *Illi* ex Lucretio ad suos uersus transtulisse. Quod si fecit, *Illi* interpretatus est ap. Lucretium i. 1065 *illic,* ut fecit Lambinus, neque omnino abiudicat Munro, quamuis aliam interpretationem praetulerit, qua *Illi, nos* tanquam nominatiui opponantur. Eadem antiquis dubitatio erat de Vergiliano *illi* Aen. ii. 548 *illi mea tristia facta Degeneremque Neoptolemum narrare memento* de quo loco duo extant scholia eius qui Donatus dicitur ad Ter. Ad. i. 2. 36 *Errant qui putant* illi *esse pronomen, cum sit aduerbium loci, ut* illi mea tristia facta. Hec. i. 2. 19 *Legitur et* illi *ut sit circumflexus accentus et significat* illic *ut* illi mea tristia facta. *Illi* pro *illic* Ribbeckius edidit G. i. 54 *Hic segetes, illi ueniunt felicius uuae* ex Arusiano, collatis 251 (ubi codices *Illic* dant, Seneca *Illis* Epist. 122. 2 legebat,) et iii. 17 *Illi uictor ego,* ubi codex Romanus *Illic* praestat. Sed et *isti* aduerbium Vergilio Seruius tribuit ad Aen. ii. 661, et *olli* pro *tum* bis, ad Aen. i. 254 '*olli*' *modo* '*tunc,*' et ad Aen. v. 10 '*olli*' *aut* '*tunc*' *aut* '*illi*'; quos locos Nettleshipio debeo *Contributions to Latin Lexicography* p. 541. Apud Propertium in loco difficillimo iv. 10. 43 *Illi uirgatis iaculantis ab agmine*

bracis Torquis ab incisa decidit unca gula expedita fit structura si *Illi* pro *Illic* interpreteris. Iuuen. v. 42 *praeclara illi laudatur iaspis*, multi codices *illic*, Pithoeanus et alii ap. Rupertium *illi*, quod reduxit Buechelerus: nam datiuus non potest esse. Ouid. Trist. i. 1. 17 *Si quis ut in populo nostri non inmemor, illi*, recte mihi uidetur S. G. Owen *illi* ex Guelferbytano et Vaticano 1606 retulisse, quamuis in pluribus *illo* inuenerit.

uu. 311, 312 Bentleius spurios habuit: probabiliter ille quidem sed non ut explorata res sit [1]. Nam qui *transuersum uertitur* dixerat 308, potuit etiam *falsi fallacia* dicere 311. 312 pro *Nec* reponendum reor *Et*. 'The treachery of the uncertain sky is not palpable, and the nights are uniform perpetually.'

III. 323 sqq. sic extant in Gembl.

At simul ex illa terrarum parte recedas
uel ad uel os
Quicquid ab extremo temet praeuecteris axe
Per conuexa gradus gressum fastigia terrae
Quam tereti natura solo decircinat orbe
In tumidum et mediam mundo suspendit ab omni
Ergo ubi consedes orbem scandensque rotundum
Degrediere simul fugiet pars altera terrae
Altera reddetur sed quantum inflexerit orbe
Tantum inclinauit caeli positura uolantis
Et modo quae fuerant surgentia limitis octo
Sydera curuato ducuntur in aethera tractu.

324 Quidquid *Voss.*[2] *o* ad extremos—axe *Voss.*[2] ab extremo—axe *Voss.*[1] *Cus. Lips. b o* praeuerteris *Voss.*[1] *b* peruerteris *o*. 325 grauis *Voss.*[2] *fortasse* gradu. uestigia *Cus. Voss.*[1] *o* 326 sola *o* soli *ed. Rom. anni* 1510. *Fortasse* teretis natura soli, *ut est in ed. Neap.* orbe *Vossiani* orbem *b o*. 327 in mundo *Vossiani ambo Cus.* adorum *Voss.*[2] 328 consedes *Vossiani ambo, Cus.* conscendes *b Bentleius* conscendens *o* scandesque *Vossiani ambo, Cus.*

[1] Nescio an scribendum sit *transuersum flectitur*. Certe in Ciceronis Arateis 134 *Sic conuersa uetus super aethera uertitur Argo*, uix sanum est *uertitur*, cum 133 *Aduersamque* 132 *Obuertunt* praecedat: reposuerim *flectitur*.

stridensque *b o*. 329 Digrediere *b o Cus*. 330 orbis *Bentleius*. 331 inclinauit *Vossiani ambo*, *Cus*. inclinabit *b o*. 332 fuerint *b o*. limitet octo *Voss.*[1] *Cus*. limiter octo *Voss.*[2] limite recto *b o*. 333 ducuntur *codices nostri omnes, durauitque in ed. Molinianam a*. 1551, *quamuis* ducentur *editum sit in ed. Bonincontrii a*. 1484

Totius sententiae structura impeditior. Nam protasis quae a u. 325 incipit *Quicquid temet praeuerteris*, postquam interueniente relatiuo 326, 7 *Quam natura suspendit et decircinat* abrupta est, rursus in 328 *Ergo ubi* resumitur, nec nisi u. 330 denique *Altera reddetur* apodosis fit.

u. 324 non erat cur *praeuerteris* corrigeretur in *deuerteris* Bentleii, uel *prouerteris* Pingraei, uel denique *praeuerterit* Scaligeri et Huetii. *Quicquid temet praeuerteris* de eo dicitur qui uiam faciens identidem interrumpit uel nondum peruento ad id quod petebat cursum intermittit et paullisper consistit: 'each time you pull yourself up,' 'at every halt you make.' Huic significationi melius conuenit *ab extremo axe* 'short of reaching the pole at the extremity.' Mox 325 quem uersum Bentleius sic refingebat

Per conuexa *trahens* gressum fastigia terrae

Iacobus

Per conuexa *regens* gressum fastigia terrae

Huetius *gradus gressum* sic ut in Gembl. scriptum est, tuebatur ex Plautinis *machinabor machinam, turbas turbat, seruitutem seruiant, testem testor, obsonabo obsonium*. Quod ego ut uix scribere reor Manilium potuisse, sic propius a uero distare credo coniecturis ceterorum: nam

Per conuexa *gradu* gressum fastigia terrae

et latine et cum ui dicturus erat, ut cum molimine scandentem per ardua et inaequalia describeret. Et hoc praestat lectioni Voss.[2] *grauis;* licet ne id quidem spernendum sit, nec inepte referatur ad cursum tarde gradientis per confragosa loca terrae et pedes degrauantia. *Gradi* in hoc usu tritum, Catull. xi. 9. *Siue trans altas gradietur Alpes*.

Secuntur 326, 327 quos Iacobus ex codicibus suis sic edidit

Quam tereti natura solo decircinat orbem
In tumidum et mediam in mundo suspendit ab omni

ut *omne* esset uniuersitas rerum, 'the universe.' Nihil moror id quod habet Voss.[2] *adorum*[1], quod si esset aliquid, deberet esse *ad horum* uel *ab horum*, sc. axium. Sed terram suspendi mediam a mundo axium siue caelo in quo uterque polus uertitur quis unquam dixit? nimis σοφιστεύει qui hoc imputabit Manilio. Merus est error librarii *adorum*, quicum comparandum erat *āniis* quod idem codex habet pro *amnis* 272. Scribendum puto *mediam mundo suspendit ab omni* h. e. natura ita suspendit terram ut media ab omni parte mundi esset.

u. 328 Bentleius emendatum ibat scribendo

> Ergo ubi conscendes orbem scandensque rotundum
> Degrediere simul

quod mihi paene incredibile uidetur, tam inepte idem uocabulum bis in uno uersu Manilium posuisse. Et *consedes* quidem, quod cum Gembl. praestant ambo Vossiani, iam *b* in *conscendes*, *o* in *conscendens* habet correctum: neque est ulla praesto potior emendatio[2]. At *scandens* errore positum reor, cum in aliis codicibus in quibus *b o*, *stridens* sit. Itaque haud scio an recipienda sit Scaligeri in ed. i. coniectura *stringensque* quod ipse interpretatus est 'praeteriens παροδεύων', ego malim ad superficiem terrae et rotunditatem referre, quam quasi stringit is qui iter faciens siue ut Romane loquar carpens ab alia parte transit ad aliam. Sed nec *conscendes* scribendum erat, uerum *conscendens*, sic enim postulat ordo uerborum, cum *rotundum* non magis ab eo diuellatur ad quod pertinet *orbem*, quam in simili loco I. 208 *solisque orbem lunaeque rotundum;* nec *Degrediere* hic locum habet, sed *Digrediere;* denique *simul* melius ad sequentia refertur, sicut iam est in ed. Rom. a. 1510 editum.

> Ergo ubi conscendens orbem stringensque rotundum
> Digrediere, simul fugiet pars altera terrae,
> Altera reddetur.

'When, therefore, climbing and passing quickly over the rounded surface of the sphere, you leave it (to move on to a farther point),

[1] Si modo est, non *adoris*: utrumque enim potuit exprimi compendio quo uocabulum scriptum est in Voss.[2]

[2] Vix potest esse *conficies*, quod aliquando suspicatus eram.

the instant one part of the earth recedes, another will take its place.'

In sequentibus (330–333) Iacobus reuocauit *orbe* quod omnes codices praestant, pro *inclinauit* scripsit *inclinabit*, pro *ducuntur ducentur*. Potuit fortasse dici *inflectere orbe* quae orbe suo flexum facit, ut *deflectere* intransitiue ponitur, uel ut dixit Valerius Flaccus ii. 3 *mediis ardens ne flectat ab undis*. Sed facilius puto id quod Bentleius dedit *orbis*, ueriusque. At *inclinauit* Gemblacensis et Vossianorum ad *ducuntur* uniuersorum sic est accommodatum ut simul stent, simul concidant. Ego neque hoc neque illud muto: quanquam post *inflexerit* melius sane positurus erat futurum. 'But in proportion to the slant in the earth's sphere is the incline which the position of the flying sky has made meanwhile; and those stars which before had been seen rising in a direct line, are now drawn along into the air obliquely.'

Itaque totus locus sic euadit

At simul ex illa terrarum parte recedas,
Quidquid ab extremo temet praeuerteris axe,
Per conuexa gradu gressum fastigia terrae—
Quam tereti natura solo decircinat orbem
In tumidum et mediam mundo suspendit ab omni—
Ergo ubi conscendens orbem stringensque rotundum
Digrediere, simul fugiet pars altera terrae,
Altera reddetur: sed quantum inflexerit orbis,
Tantum inclinauit caeli positura uolantis,
Et modo quae fuerant surgentia limite recto
Sidera curuato ducuntur in aethera tractu.

III. 335 sic traditus est in omnibus meis codicibus et Gemblacensi

Qui transuersus erat spatio quando illius una est.

Falso Iacobus dixit *spatioque* in omnibus esse: habent enim omnes *spatio quando*. Scribendum erat ex Scaligeri emendatione *statio quando illius una est*.

III. 341–346 sic extant in Gembl.

341 Pro spatio mora magna datur quae proxima nobis
Consurgunt longos caeli uisuntur in orbis

Vltima quae fulgent celeris merguntur in umbris
Et quanto ad gelidas propius quis uenerit arctos
Tam magis efficiunt oculis brumalia signa
Vixque ortus occasus erit.

343 Vltima quae fulgent *cum Gembl. b* Vltimaque effulgent *Voss.*[1] Vltimaque et fulgent *Cus. Voss.*[2] Vltima quae effulgent *o* celeris *ambo Vossiani* cetris *b* caecis *o* citius *Bentl.* umbras *Voss.*[2] *o.* 344 quando *Cus. Vossiani b o.* 345 efficiunt *Voss.*[2] officiunt *Voss. Cus. b o* oculis *codd. nostri praeter Voss.*[2] occulos *Voss.*[2] *unde Bentleius emendabat* effugiunt oculos *collato* III. 378 Effugit ergo oculos. 346 ortus *codices nostri omnes* ortis *non ante Bentleium ne in Bonincontriana quidem repperi.*

341 *fulgent* Gembl. cum *b*, *effulgent* Voss.[1] cum *o*, *et fulgent* Cus. Voss.[2] Iacobus hoc praetulit, mihi *fulgent* potius reponendum uidetur. Saepius enim effulgere dicuntur quae clara luce exstant et se oculis quasi ingerunt, quam quae inter obstruentia et obstantia uel ex longo interuallo aegre dispiciuntur, qualia sunt ultima haec sidera quae uix ante in conspectum uenerunt quam exstinguuntur. *celeris* quod habet Gembl. cum Vossianis tam aperte uerum est ut *cetris* uel *caecis* quod nonnullos codices inuasit uitio tantum, fortasse ex *cel'is*, ortum uix dubitem dicere. Itaque *umbris* in *umbras* mutandum erit, sicut 373 *tenebris* praue Gembl. exhibet pro eo quod uerum erat *tenebras*. Sed in 345 haereo. Nam eos numeros probabilitatis habet Bentleiana emendatio *effugiunt oculos*, siue ex palaeographia, siue quod optime quadrat ad sententiam, ut multis unice uera uideri possit: habetque Voss.[2], cui plerumque ut sincero et interpolationibus carenti maxima fides est, accusatiuum *occulos*. Nec tamen adeo explorata res est ut alterum illud *officiunt oculis*, in quo conspirant tot tam boni codices, abiciendum sit. Quid si significarit poeta, quo propius ad arctos accedatur, hoc magis hiemalia sidera oculis officere lumine incerto et breui et cum uix in conspectum uenerit, continuo se occulente? Nam qui aegre nec sine summa contentione sidus in caelo conspicit, eius oculis officitur siue obstructio fit, cum aciem in ulteriora mittens, non statim id quod quaerit inueniat, saepe ne possit quidem

inuenire. Sic *officere oculis* erit 'to interfere with free sight,' 'prevent clear vision.' Sic Lucretius v. 888 dixit *puerili aeuo florente iuuentas Officit* 'when boyhood is in its prime, adolescence *interferes*.'

III. 352

Pluraque per partis subrupto tempore signa
Quaerentur.

III. 355

Mensibus eruptis donec sit debilis annus.

Vtroque loco formam in *u* pro usitatiore *subrepto*, *ereptis* constanter seruant codices: de qua re post Ritschelium ad Trin. Prolegom. p. xcv., Opusc. ii. p. 544, et Fleckeisenum Nou. Annal. Paed. et Philol. lx. p. 251 sqq. disseruit Munro ad Lucr. iii. 1031, Catull. lxviii. 84, contenditque non Frontonem modo, sed Senecas etiam et Martialem aliquando sic scripsisse. Locis ibi citatis unum ipse addo, Cic. pro Font. ii. 3 ubi palimpsestus Vaticanus *surrupiatur* habere dicitur.

III. 370–377 sic extant in Gembl.

At simul e medio praeceps descenderit orbe
Inferiora petens deiecto sydera cursu
Et dabit in pronum laxas effusus habenas
Per totidem menses iunget nox una tenebris
Vertice sub caeli nam quisquis spectat † ab omni
Dimidium † et toto mundum uidet orbe rotundi
Pars latet inferior neque enim circumuenit illum
Recta acies mediaque tenus distinguitur aluo.

371 deiecta *Cus.* 373 tenebris *Cus.* tenebras *Vossiani.* 374 ab axe *Bentleius.* 375 et *Vossiani Cus. o* e *b Bentl.* tantum *pro* mundum *Bentl.* or$^{b}_{\wedge}$e (*sic*) *b* orbe *supra lineam scriptum habet Cus.* rotundum *Voss.*^{1} rotundo *b o.* 376 illum *Voss.*^{2} *b o* illi *Voss.*^{1} *Cus.* illam *ed. Regiomont.* 377 destinguitur *Voss.*^{2}

u. 373 iterum Gemblacensem error inuasit, cuius plerique immunes sunt. Nam nullo modo potest uerum esse *tenebris*; contra *tenebras iungere* nox dicitur in qua tenebrae continuantur neque ullus luci locus est. Stat. S. i. 5. 10 *Iunge puer cyathos*, h.e. alium post alium ingere.

uu. 374–376 explicatione caret *ab omni*, nec recte traditum est. Documento sit Voss.[2] qui III. 327 pro *ab omni* habet *adoẏ*. Eiusmodi uitium et hic codices uidetur inuasisse. Scribe

namque his qui spectat ab oris
Dimidium ex toto tantum uidet orbe rotundi.

u. 376 notabile est *illi* quod habet *Voss.*[1] Gemblacensis sane cum Voss.[2] habet *illum* sc. dimidium orbem caeli qui superior est; sed elegantius est *illi*, non datiuus sed aduerbium (sc. a parte inferiore), et locis addendum quos ad III. 309 adtuli. Mox *distinguitur* est ἀφορίζεται. Graeca est structura ἀφορίζεται μεχρὶ μέσου.

III. 395 sic extat in Gembl.

Quacumque hoc parte terrarum quisque requiret,

hic *Voss.*[1] parati *Cus.* *Voss.*[1] para terrarum *Voss.*[2] parat et terrarum *b o*.

parti Scaliger tanquam ex Gemblacensi cum intulisset, negauit Bentleius id ferri posse in Manilio. '*Parti* Plautus et Lucretius. Sed hic non opus. Lege *Quacumque hoc parte in terrarum q. r.*' Nuper Iacobus *parti* reuocauit, ueterem casum tot turbas fecisse ratus. At II. 726 codices non *parti*, sed *partu* praestant: ex eis autem ablatiuis in *i* quos Iacobus adtulit in Indice I. 229 *toto miserabilis orbi*, V. 279 *Diues erat census saturatis gentibus orbi* (al. *orbis*), I. 813 *Sunt etiam rari sorti natalis euntes*, I. 832 *Aridior terrae uapor et comprenditur igni*, III. 616 *bis sexque peracti Immatura trahunt natales corpora morti* (Gembl. *morbus*), IV. 846 *solitoque exempta uigori* (al. *uigore*), nam participia non curo, ueri uidentur esse *sorti* I. 813, *igni* I. 832, ceteri aliam explicationem capiunt. Sin *sorti*, *igni* Manilio nequeunt abiudicari, potuit etiam *parti* scribere, praesertim Lucretianum. Nam traiectionem praepositionum qualis est *parte in* non amat noster: neque id ex palaeographica ratione commendatur: facilius enim ex multiplici diuersitate codicum *parte terrarum*, *para terrarum*, *parati terrarum*, *parat et t.* elicias *parti* uel *partei terrarum*, quam *parte in terrarum*. Quid? *parati* ecquid aliud est quam *parti* amplificatum? *para*, quod in Voss.[2] legi, nonne est ex *parti* uitiatum, *a* et *ti* confusis [1]?

[1] Breiterus coni. *Quacumque in parte hoc terrarum quisque requiret.*

III. 402 sic extant in Gembl. et Cus.

Vt quantum una ferat tantum tribuatur ad ortus
Temporis aduerso nascentia sydera tauro.

402 urna *Regiom.* ortum *b.* 403 Ipsis *pro* Temporis *b* nascenti sidere *Breiterus*.

Mire hic conspirant in prauum codices: solus *b* cuius tenuis est auctoritas uariat, sed ut nihil adferat lucri. Sed pro certo habeo, retinendum esse *tauro,* eiciendum *tauri* quod Scaliger inuexit. Quod Huetius *auerso* praecepit scribendum esse, id receperunt uniuersi. Denique *nascentia sydera* non ex *nascenti sidere* ortum, sed ex *nascenti ad sidera* existimo. Sensus es *tantum temporis tribuatur ad ortus Tauro nascenti ad sidera auerso.* Taurus nascitur ad sidera auersus, siue auersus uenit exoriens in sua sidera.

III. 410

Inde pari uirgo procedat temporis actu

actu Gembl. et nostri omnes. *auctu* ed. Regiom. Hoc Scaliger recepit, 'pari excessu' interpretans, sed iure Huetius codicum lectionem tuetur quamuis significationes uix satis discreuerit. Nam I. 573 *extremos designat feruidus actus* de cursu solis dictum est, II. 140 *Nec per iter socios commune gerentibus actus* de semita per quam poetae currus suos agunt. Sed simillimus nostro est uersus ab Huetio allatus III. 482 *similisque redit quam creuerat actu.* Refertur hic sensus ad numeros et interualla numerorum, uti demonstrant ea quae Nettleshipius adtulit *Contributions to Latin Lexicography p.* 31, ubi haec dicit 'a definite space between two given points, of numbers, as from 1 to 90: Varro L. L. 9. 86 *omnibus* (*numeris*) *est una nouenaria regula, duo actus, tres gradus;* of aqueducts, Vitruv. 8. 7. 3 *puteique ita sint facti uti inter binos sint actus;* ib. 7 *inter actus ducentos . . . castella conlocari.*' Clarissima sunt quae Varro l. c. dicit 87 *Actus primus est ab uno ad nongenta, secundus a mille ad nongenta milia:* et mox *gradus singularis est in utroque actu ab uno ad nouem.* Nec multum distat significatio in Germ. Arateis 352 *lateri non amplior actus Quam surgit malus* ubi mensuram significat uel longitudinem.

III. 411, 412 sic extant in Gembl.

Sed certa sub lege prioris semper in astris
Incolumem seruet summam crescensque nouando.

411 in *Voss. Cus.* ut *Voss.*[2] *b o* astris *codices* astri *Regiom.* prioris semper ut astri Incolumem seruent summam crescantque nouando *Bentleius.*

Valde incerta est coniectura Bentleii, cum *crescensque* bene se habeat, nec probabiliter ex *crescantque,* si palaeographiae credimus, immutari potuerit. Age attendamus uersus

Inde pari Virgo procedat temporis actu,
Sed certa sub lege prioris semper in astris
Incolumem seruet summam, crescensque nouando,

sic enim Gembl. Quae si retinentur, structura erit; Virgo procedat, sed certa sub lege seruet in astris prioris (astri) summam incolumem, et quidem crescens nouando.

Et haec quidem satis ad uerum accedere sentio, praesertim sic tradita in uetustissimo et optimo Gembl. Neque tamen ita religiose obstrictum me habent antiqua ut non magis credam Manilianum id quod in Voss.[2] inueni, tutanturque alii multi codices *prioris semper ut;* quod ut stet, *astri* pro *astris* reponendum erit. Facilius sic et expeditius se sententia explicat; modo a nominatiuo *Virgo* numquam recedas, sed ab incepto usque ad finem principatum ei et regimen tribuas sententiae. Sic respondebunt inter se *sub lege ut seruet* et *crescensque.* Hoc equidem praefero: est enim singulare pretium Vossiani [2], utpote qui multa aperte uera eaque solus, quamuis anno 1470 scriptus, conseruauerit.

III. 425

Rursus qui steterit numerus sub numine noctis

numine *Gembl. Voss.*[2] *Cus.* nomine *Voss.*[1] *b o.*

Miror Iacobum Gemblacensi obsecutum *numine* hic ausum edere. Optime et hunc uersum et 421 *aestiuae nomine noctis,* et 472 *Quot prius abstulerant proprio sub nomine Pisces* Huetius explicauit ex rationariis creditorum 'in quibus nomina debitorum descripta erant, et summae debitae seu creditae erant adiunctae. Similiter in rationariis Astronomorum, ad

nomina noctium uel dierum uel siderum partium adiectae erant.'

III. 429, 430

> Tertia pars eius numero superaddita tauri
> Traditur et geminis.

429 numeris *Voss.*[2] 430 Traditur et *Gembl. Voss.*[1] *Cus. b* Traditur *om.* et *Voss.*[2] *uersus deest in o* Tradetur *Iacobus.*

Rectissime Iacobus *Tradetur* edidit, etsi in Voss.[2] non *Tradetur* sed *Traditur* omisso *et* inueni. Nullus hic locus est coniunctioni, poteratque ex *Traditur* *et* *geminis* librarius facile suprascriptum *et* tanquam partem uersus interponere. Sed et secuntur tria futura *Procedent . . . Augebunt . . . peruenient:* ut melius reuocato *Tradetur* et aequabilius eat oratio. Similis est ratio u. 437 *Haec uia monstrabit stadiorum ponere summas* ubi unus Gembl. futurum[1], ceteri nostri codices *monstrauit* habent: secuntur enim *cum acceptaueris . . . In nulla fallet . . . Cum poterunt.*

III. 455, 456

> His opibus tria signa †ualent sed summa prioris
> Accedat numeri.

ualent *Gembl. Voss.*[2] set̄ *Cus. In Voss.*[1] *omissum est spatio relicto, in quo recentior manus xvi uel xvii saeculi* etiam *inseruit.* etiam *b o. Fueratne* nota? *quod per compendium scriptum* n[a] *potuit post* signa *excidere.*

III. 461, 462 sic extant in Gembl.

> pisces tantum sibi temporis †ipse
> Constituant quantum accipiant de sorte prioris.

461 statum *Voss.*[2] inse *Voss.*[2] ipse *Cus. Voss.*[1] *o.* 462 accipiunt *Voss.*[1] *o* accipiant *Voss.*[2] *Cus.*

Rursus uerum unus *Voss.*[2] seruauit *in se.* Pisces tantum temporis sibi constituant in se h. e. tanquam suam partem, uel ex se ductam, non acceptam a priore summa. Iam II. 622 *ex se* in *esse* uitiatum uidimus[2].

[1] *Monstrabit* etiam in ed. Neapolitana, quae antiquitate non cedit Regiomontanae, inueni.

[2] Alia est significatio locutionis *in se* pro una, simul quam ex C. I. L. III.

III. 495–502 sic extant in Gembl.

Tum quo subsistet numerus consumptus in astro
Quaue in parte suam summam numerique reliquit
Haec erit exoriens et pars et forma per ignes
Contineat partes ubi summam fecerit unam
Tricenas dabis ex illa per singula signa
Donec deficiat numerus quamque ille sub astris
Parte cadet credas illam cum corpore natam
Esse hominis pariterque orbem uidisse per ignes.

495 Cum *Cus. Vossiani b o* Tum *ed. Regiomont.* 496 numerique *Cus. Voss.*^{2} *o b* numerumque *Voss.*^{1} reliquit *Cus.* relinquit *Vossiani o b.* 497 ignis *o b* fo^{u}ma *b* norma *Breiterus.* 498 summa *Voss.*^{2} *Cus.* foecerat *o* unum *Cus. Vossiani* unam *b o* feceris *Scaliger.* 500 quaque *Cus. Voss.*^{1} *b o* que *Voss.*^{2} illa *Vossiani b o.* 501 cadet *Vossiani Cus.* cadat *b o.* 502 uides semper ignes *Voss.*^{2}

Scrupulum iniecit u. 496 Scaligero neganti posse numerum dici suam numerique summam relinquere. Itaque *numeri* ex *numen* uitiatum ratus, hoc in *momen* refingebat. Melius Manilio suo consuluit Huetius cum *nomen*, siue ab se profectum siue ab alio, ad rationes et calculos reuocaret. Nihili pendo Vossiani^1 *numerumque*, nisi quod probabilius hinc fit *numerique.* Quamuis enim Manilio abiudicandum sit *qua in parte numerus suam summam numerumque relinquit*, non cadit hoc in *suam summam numerique*, cum *numerique* eis locis addendum sit quibus explicandi uim *que* habeat siue definiendi, cuiusmodi sunt Aen. ii. 19 *cauernas Ingentes uterumque* et similia, 'in whatever degree the number leaves its total, that is, the amount it reaches as a number.' Nam si *cauae . . . cauernae, cauas . . . cauernas* ne Vergilius quidem neque Lucanus dicere refugit (Aen. ii. 53, Phars. iii. 418), uterque uidelicet id ambiens ut non solum ex cauo editum murmur, sed etiam cauum quiddam sonans exprimerent, cur non de astris loquens Manilius re difficillima et multam explicationem postulante, *numerum* fecerit *suam numeri-*

1. 2534 *uixerunt annis xxxv in se*, et 2113, V. 1. 3996, illustrauit Pauckerus in Supplemento Lexicorum Latinorum, p. 406.

que sui *summam relinquentem*, id scilicet adfectans ut legentes admoneret astronomiam in calculis et numeratione uersari, neque posse eum qui haec negligeret, ad genethliacon et horoscopi ueram computationem peruenire? Pro *reliquit* quod cum Gembl. praestat etiam Cusanus, Bentleius ex duobus Vossianis edidit *relinquit*, Iacobus *relinquet*. Mihi aut hoc recipiendum, ut respondeant inter se *subsistet relinquet* (sic *currit* pro *curret* 361), aut *reliquit* uidetur scribendum secundum Gembl., quasi dixerit Manilius, Qua in parte summam suam reliquerit numerus atque in eo astro tum subsistet; ut posterius positum sit quod prius factum est, sententia autem per hysteron proteron quoddam efferatur.

uu. 497, 8 sic refingo

Haec erit exoriens. Et par sit forma, per ignes
Cum teneat partes. Vbi summa fecerit unum,

h. e. haec (pars) tum erit exoriens. Sitque similis ratio computandi, quoties ea partes tenet (ascertains the degrees) per nocturna sidera, siue ad genesin definiendam noctu; iam enim de diurnis genituris dixit 485 *quota sit lucis, si luce requiritur, hora*. Simul atque fecerit (numerus) unum totum ad summam quod sit, (when the reckoning has mounted to a complete sum).

Hic si durius alicui uidebitur, quod *numerus* pro nominatiuo supplendus sit, scribat *Cum teneas* et mox *ubi feceris*.

u. 500 optime seruauit Gembl. nisi quod *quamque* habet pro *quaque*. Itaque non temere Gronouius v. 183 *Quamque erat Actaeon siluis imitandus et ante Quam canibus noua praeda fuit* malebat *Quaque;* etsi potest ibi etiam *Quamque* defendi. In eodem uersu 500 rectissime Gembl. *ille*, ceteri plerique, etiam Voss.[2], *illa;* nam *ille* ad numerum refertur, *illam* u. 501 ad *Parte*. Variauit genus, ne ter femininum *illa* rediret.

Tricenas dabis ex *illa* per singula signa,
Donec deficiat numerus, quaque *ille* sub astris
Parte cadet, credas *illam* cum corpore natam
Esse hominis.

III. 508, 509 sic extant in Gembl.

Stent ueri stellarum ortus uerique subortus
Denaque in proprias uires sortesque recedant.

508 Stent *Voss.*[1] *b o* Sint *Voss.*[2] *Totum uersum ut spurium damnauit Bentleius.* 509 Denaque *Voss.*[2] *Cus. o* Dena quod *Voss.*[1] *b* Denique ut *Scaliger* Omniaque *Bentleius* Sena quod *Stoeberus* Censibus *Iacobus* Singulaque *ego.* Bentleium qui uu. 505–507 egregie correxit errasse in 508 iam Stoeberus euicit. *Subortus* enim non est occasus, sed par significat atque apud Lucret. v. 302, 3 *Sic igitur solem lunam stellasque putandumst Ex alio atque alio lucem iactare subortu.* Nam *suboriri* dicuntur quae nouo semper ortu proueniunt, sicut Plinius dixit ii. 207 *metallorum opulentia tam uaria tam diues tam fecunda tot saeculis suboriens:* interdum quae in alius locum succedunt; uide quae ad IV. 800 *pisce suborto* adnotaui, interpretatus de transfigurata Venere in piscem. Et in Maniliano uersu Stoeberus sic uocabulum uolebat poni 'quaenam signa in aliorum, occidentium puta, locum oriantur,' sed uerius puto de eisdem stellis dici quae oriantur et suboriantur, alio tempore ex alio supra horizontem se extollentes: 'the true risings and new risings that replace them.'

Quod *Singulaque* pro *Denaque* scribendum reor, poterat compendiose exaratum *Sin*ª cum *Dena* permutari.

Postquam Manilius docuit annis nascentis praesidere solem, mensibus lunam, primis horis horoscopon, haec subnexuit

III. 520, 521

> Sic annum mensisque suos natura diesque
> Atque ipsas uoluit numerari signa per horas.

Bentleius *Signa per* per anastrophen coniungebat, sententia sic postulante, cum sequeretur, *ut omne tempus diuisum foret in omnia astra.* Nam ut tempus in astra, ita menses &c. per sidera.

Huiusmodi intolerabilem anastrophen equidem non concoquo. Corruptum potius *signa per* et in *signifer* refingendum arbitror. Variauit id quod praeceperunt Aegyptii, solis speciem singulis horis per singula Zodiaci signa mutari. Itaque hoc dicit: non solum annis mensibus diebus sua uis, sed singulis etiam horis est.

Koppius ad Mart. Capell. i. 76, ubi de sole dixit, *facie autem mox ut ingressus est pueri renidentis, incessu medio iuuenis anheli,*

in fine senis apparebat occidui, licet xii nonnullis formas conuertere crederetur, hos locos citauit. Porphyr. apud Eusebii Praep. Euangel. v. 10. p. 198 *αὐταὶ δὲ αἱ εὐχαὶ τίνα ἔχουσι λόγον τὸν ἐξ ἰλύος ἀναφανέντα λέγουσαι καὶ ἐπὶ τῷ λωτῷ καθήμενον καὶ ἐπὶ πλοῖον ναυτιλλόμενον καὶ καθ' ὥραν τὰς μορφὰς ἀμείβοντα καὶ κατὰ ζῴδιον μετασχηματιζόμενον;* Iamblich. de Myster. vii. 3 *σχηματίζεσθαι μὲν κατὰ ζῴδιον καὶ τὰς μορφὰς ἀμείβειν καθ' ὥραν τοῖς ῥήμασι διασημαίνων,* et rursus *κατὰ ζῴδιον καὶ καθ' ὥραν μεταβάλλεσθαι.*

Ergo, si singulis horis mutatur solis species, per Zodiacum autem fit decursus solis et horarum, recte Signifero siue Zodiaco Manilius horas et earum numerationem in genethliacis demandauit.

III. 528–536 sic extant in Gembl.

Vsque adeo permixta fluit nec permanet usquam
Amisitque fidem uariando cuncta per omnis
Non annis anni nec menses mensibus usque
Conueniunt seque ipsa dies aliumque requirit
Horaque non ulli similis producitur horae
Tempora quod sistant propriis parentia signis
Per numeros omnis aeui diuisa uolantis
Talesque efficiunt menses casusque minantur
Qualia sunt quorum uicibus tum uertimur astra.

528 usquam *b o* usque *Vossiani, Iacobus.* 530 Non annus annis nec *Voss.*[1] *Cus.* usquam *o.* 531 ipsa *Voss.*[2] ipse *Voss.*[1] *b o* requiret *Voss.*[2] *et Lips. pr. m.* (-it *a correct.*) relinquit *Voss.*[1] *b o* reliquit *Cus.* 532 non uli *o* nonnulli *Vossiani.* 533 quod sistant *Vossiani Cus.* consistunt *b o* quod distant *Iacobus.* 534 uolantes *Voss.*[1] *Cus.* 535 mentes *Iacobus* census *Breiterus* animantur *Voss.*[2] mirantur *Voss.*[1] 536 tum *Voss.*[2] dum *Voss.*[1] *Cus.*

Notabilis locus ob insignem praestantiam Gemblacensis, qui omnia recte seruauit quae postea uitiata sunt in ceteris. Sola *ipsa* 531 *sistant* 533 *menses* 534 ne Gembl. quidem integra habet. . Nam *ipse* uersu ipso conprobatur; *distant, mentes* recte uidetur Iacobus coniectasse. Sed *permanet usquam* non *permanet usque* 528 ex Gembl. retinendum censeo, cum *usque* praeeat in uersus principio, *nec permanet usquam* similia sui habeat I. 212

Cui neque principium est usquam. II. 591 *Cum fortuna fidem quaerat uix inueniat usquam*, Lucret. vi. 1081 *Nec tibi tam longe* [illegible] *usquam.* Aliter se res habet u. 530, ubi unus *usquam*, ceteri et Gembl. *usque* dant; utrumque satis ad sententiam conuenienter: sola auctoritate testium commendatur *usque*: non enim quia 528 clauditur uerbis [illegible] *usquam* idcirco non potuit *usquam* iterum finire uersum 530. Respice uu. 539–542 et rursus 545–550; illi sic terminantur *dictus—astra—diesque—astris*, hi sic *astrum—anno—annus—cuncta—annus—astrum.*

Nouam dubitationem mouent illa *seque ipse dies aliumque requirit* siue ut Voss.[1] scriptum exhibet *relinquit.* Prius sic interpretor; dies frustra se eundem quaerit qui prius fuit, cum alius semper sit ex die in diem: ut *se aliumque* idem sit quod se eundemque alium; nam quia alius semper nascitur dies, frustra se eundem in alio quaerit: 'the day looks in vain for the self which is not the same.' *Relinquit*, siue ut est in Cusano *reliquit*, *dies ipse se* eundemque *alium* quia singulis diebus sua spatia ac decursus, sua est fortuna, ut cum dies aliqui iam ad finem perueniens se relinquit ac deserit, non idem sit nec compar cuiquam praeteritorum, sed specie idem, reuera alius sit: 'the day leaves behind it (takes leave of) a self which differs from all its predecessors.' Sed hoc ut multo est illo contortius, sic infirmiore nititur fundamento.

Quanto uenustius poeta nostras Matthaeus Arnold,

'to-morrow 'll be
To-day's exact repeated effigy!'

Verius tamen illud Manilii, et multo φιλοσοφώτερον.

u. 533 egregie emendauit Iacobus: *sistant* ex *distant* sic deprauatum est ut ex *signant* factum est *dignant* Cic. Arat. 34 (268).

III. 537–540 sic extant in Gembl.

Sunt quibus et caeli pateat nascentis ab horae
Sydere quem memorant horoscopos inuenturos
Parte quod ex illo describitur hora diebus
Omne genus rationis agit per tempora et astra.

537 ut *o* et *om. Voss.*[2] pateat *Cus.* pateant *Voss.*[1] *b o* placeat *Voss.*[2] *Regiom. Bentleius* nascentibus abore *o unde* nascentis ab ore *restitui.* 538 horoscopos *Voss.*[1] *Cus. b* horoscopon *Voss.*[2] memorat horoscopus *o* sidera quem memorant horoscopon inuenturis *Regiom. Versum Bentleius ut spurium damnauit, cui adsensus est Iacobus.* 540 agit *Voss.*[1] *b o* agi *Voss.*[2] *Cus.*

Rectissime Bentleius ex Voss.[2] *placeat* u. 537 reuocauit, adlatis qui similes sunt loci III. 681 *Sunt quibus esse placet*, II. 221, IV. 227. Nec hoc solum male exaratum est in Gembl. sed et *horae*, pro quo unus codex Coll. Corporis Christi *ore* seruauit. Id et Huetium et Bentleium et Iacobum fefellit; est tamen uerissimum. *Os nascentis caeli* est uultus siue facies caeli orientis, qua in parte horoscopos quaeritur. II. 791 *Vnus ab exortu caeli nascentis in orbem Qua primum terras aequali limite cernit*, cf. 827 *Qui tenet exortum, qua primum sidera surgunt, Vnde dies redit et tempus describit in horas, Hic inter Graias horoscopus editur urbes. Os, ora* saepissime tribuit sideribus Manilius, II. 923 *et ueluti faciem mundi sua collocat ora*, 950 *Tergaque prospectat Phoebi qui uiderat ora*, V. 39, 601, alias *uultum*, II. 396, 573: interdum et caelo I. 35 *Maior uti facies mundi foret*, III. 212 *Cursibus aeternis mundum per signa uolantem Exprimere et uultus eius componere certos*, IV. 105 *Astra nouant formas caelumque interserit ora.*

u. 538 haud dubie spurius ne ex Regiomontana quidem emendatione (sic enim uidetur) habet defensionem: uix enim pluralem *sidera* de horoscopo dicturus erat; ut nihil dicam de uariato et fluctuante uocabulo *horoscopon horoscopos horoscopus*, quod mihi quidem signum falsitatis habetur; cum soleant non raro librarii ubi aliquid commenticium inrepsit, turbas huiusmodi consulto inicere. Fuit tamen inueterata corruptela, cum ne Gemblacensis quidem uersu careat: sicut etiam in Ibide Ouidiana accidit, in qua duos uersus qui 130 secuntur *Finiet illa dies quae te mihi subtrahet* (al. *-hit*) *olim Finiet illa dies quae mihi* (al. *tibi*) *tarda uenit* a nullo absunt antiquiorum codicum, in ueterrimo Cantabrigiensi (*G*) ueros, unde conflati sunt, expulerunt.

Denique *agi* pro *agit* recte seruatum est in *Cus.* et *Voss.*[2] Totus igitur locus sic euadit

Sunt quibus et caeli placeat nascentis ab ore,
Parte quod ex illa describitur hora diebus,
Omne genus rationis agi per tempora et astra.

III. 548 sqq. sic extant in Gembl.

Difficile est in idem tempus concurrere cuncta
Vnius et signi pariter sit mensis et annus
Asperioris agam mensem si mensis in astrum
Laetius inciderit signum si triste diei
Si fortuna diem foueat si durior hora
Idcirco nihil in totum sibi credere fas est
Non annos signis ∴ uertentibus annis ∴ menses
Mensibus aut luces aut omnes lucibus horas

549 Vtrius *b solus* ut *b solus.* 550 Asperioribus *o* agam *Vossiani* agat *b o Bentl.* Asperiorem *ed. Bonon.* 1474 Asperiorem is agat mensem *Salmasius de ann. climact. p.* 322. *Ante* 550 *excidisse uersum putabat Huetius, quem Bentleius suppleuit, totumque locum sic scribere uoluit* Sic erit ut mitis qui signi duxerit annum, Asperioris agat mensem. 551 sit *Scaliger.* 552 sit durior *Scal.* 553 si *Voss.*[1] tradere *Voss.*[2] 554 anno *b o* signi *Cus. Vossiani b o* igni *ed. Regiom.* menses uertentibus *nostri omnes.* annus *Gembl. pr. m.*

uu. 549, 550 nescio an aliquid tribuendum sit codici Bodleiano *b* (uidemur certe ex hoc recte III. 4 restituisse),

Vtrius ut signi pariter sit mensis et annus,
Asperioris agat mensem,

quae sic interpretor: difficile est omnia in unum tempus concurrere, nam si ex duobus signis sub quibus nasci quis potuerit, alterum et anno et mensi faueat, alterum anno quidem laetum fuerit, mensi uero tristia minetur, facilius erit sub hoc nasci, ut non mense simul et anno utatur felicioris signi, sed anno felicioris, mense tristioris.

Hic notandum est quod Gembl. cum Vossianis habet *agam.* Id duplici modo effici potuit: fuerat aut *agat mensem*, mox elapsa

t primam litteram sequentis uocabuli *mensem* praecedens *aga* in se traxit et absorpsit, quod dittographiae genus frequentissimum est: aut *agam* ex *agant* deprauatum est, cuius erroris non pauca extant exempla in Manilii carmine. Vide quae ad II. 928, V. 355 scripsi. *Agat* siue *agant* Manilii fuit, supplendus erit nominatiuus ὁ τυχών, οἱ τυχόντες, quisquis ille est quem semper in animo habet poeta horoscopon indagantem, inhiantem genituris. Huiusmodi nominatiuus potest esse III. 498 *cum teneat partes*, quanquam aliam et fortasse ueriorem explicationem secutus sum. In II. 825 eadem est dubitatio, cum Gembl. et *o possis*, plerique *possit* tradiderint. Prop. iv. (v.) 2. 11, 12 *Seu quia uertentis fructum praecepimus anni Vertumni rursus credidit esse sacrum* omnes codices praestant: sed uerum potest esse quod Housmannus coniecit *credis id*. Apud Frontonem in epistula ad M. Caesarem (v. 22 Naber) *aput censores expostulat* certum uidetur: estque eiusdem styli quod Frontoni M. Caesar rescripsit (v. 23) *in hac materia diutius laborandum est ut factum credatur quam ut irascatur*.

In sequentibus *sit triste, sit durior* Scaliger correxit, adsentiente Salmasio de Annis Climactericis p. 322. Sed u. 553 haereo in illis *sibi credere*. Significantne, nihil esse cui fas sit in totum sibi credere? At repugnant sequentia *Non annos signis, menses uertentibus annis*. Potius comparem V. 357, 358 *Hoc est artis opus non exspectare gementis, Et sibi non aegro iam dudum credere corpus*. Nam ut ibi non est credendum corpus aegro sibi, sic hic nulli licet quidquam *credere in totum sibi* h. e. ei quod prius fuerit, cum incidant tot uarietates rerum ac temporum. 'There is nothing which may be trusted absolutely to the deductions of its past experience: you cannot trust the years to find the Zodiacal signs exactly as they were before, nor the months to the revolutions of past years, or the days to the months, or all the hours of a day to correspond with former days.'

III. 571 sic exaratus est in Gembl.

Bisque nouem nemeae tribuis bissemque sub illis

nemee tribues *Voss.*[1] *o Cus.* neme etribues *Voss.*[2] nemee dabis *b*

nemeae dabis ed. Rom. 1510 Nemeae credidis ed. Mediol. 1551 Nemeae tribuis *Scaliger* Bessemque *plerique*.

Rursus mire conspirant in prauum codices *neme tribui* uel *tribus*. Rursus succurrit *b*, siue ex interpolatione, ubi credidit Scaliger, siue ex antiquo fonte ductum habuit *neme dabi* h. e. *Nemeaee, dabis*. Scaliger sic corrigebat, *Nemeae, tribuis*, tanquam *Nemean* poeta adloquens posset *Leonem* uideri adloqui. Iam ante uidimus Scaligerum III. 4 de suo inferentem *irriguos in carmina ducere cantus*, ubi *b* recte *indictos in carmina d. c.* tradidit. Ego nec *irriguos* nec *Nemea* Manilianum credo. Saepissime enim Leonem *Nemeaeum*, non raro uocatiuo *Nemeaee*, appellat: loco ipsi nusquam tantum tribuit ut astri uicem repraesentaret.

Dixerit hic aliquis 'correxit nescio qui post annum 1400: ista *indictis*, *dabis* Italum produnt.' Multa equidem tribuerim Italis: Politiano Auantio Marullo nemo qui post eos uixit subtiliore fuit sensu ueri indagandi. At ex his non credo *indictos* natum; oriri *dabis* nec infitior potuisse, nec persuasum habeo sic ortum.

III. 579, 580 sic extant in Gembl.

> Piscibus est aries et sorte et finibus haerens
> Lustra decem tribuet solis cum mensibus octo.

579 ast *Scaliger coni.* de sorte *Voss.*[2] 580 decem *Voss.*[1] *b o* de ce *Voss.*[2] duo *Bentleius* tribuet *Cus. Vossiani b o* tribuent *Bentl.* solis *Voss.*[2] soles *Cus. Voss.*[1] *b o*.

Iam u. 567 dixit Arietem *bis quinos annos unumque triente Fraudatum* dare. Itaque manifestum est uu. 579, 580 significari Pisces, cum sorte et loco Arieti sint proximi, idem uitae spatium tribuere, annos x, menses viii. Si igitur uere traditum est in codicibus *tribuet*, pro nominatiuo *Aries* erit, isque propinquus Piscibus cum sit, tribuet nato sub Piscibus suum numerum annorum, x lustra siue περιόδους solis, h. e. annos. Lustrum enim hic est tempus quo sol lustrat caelum, pari sensu ac dixit III. 321 *Et paribus spatiis per singula lustra resurgunt* (*zonae*). Vero similius tamen reor ipsis Piscibus hoc tribui: itaque *tribuent* scripserim cum Bentleio, qui tamen quod de suo intulit *Lustra duo*, cum nusquam hoc sibi Manilius permiserit,

errasse mihi uidetur[1]. Etiam hic *solis* unus Voss.[2] seruauit cum Gembl. ceteri uitiose *soles*.

III. 580, 581

> Nec satis est annos signorum noscere certos
> Ne lateat ratio finem quaerentibus aeui.

Ne lateat codices; sed post *Nec satis est* exspectandum potius erat *Ni pateat*. II. 643 *Nec satis hoc tantum, solis insistere signis. Contemplare locum caeli sedemque uagarum.* IV. 409–411 *Nec satis est signis dominantia discere signa Per denos numeros et quae sint insita cuique Sed proprias partes ipsas spectare memento.* II. 270, 271 *Nec satis est proprias signorum noscere formas Consensu quoque fata mouent et foedere gaudent.* Qui tres loci hoc habent cum nostro commune, quod *altera res* inducitur quae post priorem negligi non debeat. Itaque hoc dicit poeta: non satis est in uniuersum noscere quot annos singula Zodiaci signa tribuant, nisi certior quaedam ratio tibi pateat: inspiciendi sunt cardines iv caeli, viii regiones, si uitae finem cuiusque definire cupies. Quod uidetur idcirco subiunxisse, ne toties errantibus mathematicis, toties falsa ex horoscopo praedicentibus, tota ratio astrologiae corruat nec uera iam existimari possit.

III. 588, 589 sic extant in Gembl.

> Cum bene materies steterit per cognita rerum
> Non interpositis turbabitur undique membris.

588 per cognita *uel* percognita *omnes*, praecognita *Scaliger adsentiente tacite Bentleio* per cognita rerum *Stoeberus, quem secutus est Iacobus*. 589 turbabitur *b unus ex nostris* turbantur *Voss.*[2] *o* tribuantur *Voss.*[1]

Rursus te ne fugiat quod unus *b* ex nostris habet *turbabitur* secundum Gembl., ceteri tres *turbantur*, *tribuantur*. Hoc si recte et ex archetypo seruauit, recte poterat *indictos*, recte *dabis* seruare.

In priore uersu ualde arridet Scaligeri emendatio *prae-*

[1] '*Duo* uocabulum ut ab optimis poetis, ita a Manilio quoque usu constanti pyrrichii numero positum est, quode conferas huius libri (III.) v. 384 Per duo partitae; 593 Si duo decedant. Ceterorum librorum locos, siquis inspicere velit, adscripsisse sufficiat: I. 21, II. 192, 279, 313, 393, IV. 650.' Bechertus de M. Manilii emendandi ratione, p. 57.

cognita, cf. II. 785–7 *Materies primum rerum, ratione remota, Tradenda est, ratio ne sit post irrita, neue Argumenta nouis stupeant nascentia rebus.* Malim tamen *percognita* tueri, h. e. penitus cognita, sicut iam dixit II. 149 *Hoc quoque fatorum est, legem perdiscere fati.* Simillimus est usus uocabuli ap. Plin. H. N. ii. 116 *palam est illos quoque legem naturae habere non ignotam etiamsi nondum percognitam.* [Idem uideo placuisse Breitero].

III. 590–596 sic extant in Gembl.

Si bene constiterit primo sub cardine luna
Quo credit in terras mundus nascensque tenebit
Exortum octonos decies ducetur in annos
Ni duo decedant at cum sub culmine summo
Consistet tribus hic numerus fraudabitur annis
Bis quadragenis occasus diues in actus
Solis erat numero nisi deesset olimpia luna.

591 Quod *o* Qua *Bentl.* redit *nostri omnes* tenebat *nostri omnes* mundo *Voss.*[1] *solus.* 593 Ni *Voss.*[2] si *Cus. Voss.*[1] *b o.* 594 fraudabitur superabitur *b.* 595 quadragenis *Cus. Voss.*[1] *b o* quadragenus *Voss.*[2] quadragenos *Huetius* actus *omnes* ortus *Bentleius.* 596 deesse *o* oli(y *b*)mpia luna *Cus. Voss.*[1] *b* olimpa luna *o* olimpus luna *Voss.*[2] olympias una *ed. Neapolitana.*

Singularis est deprauatio Gembl. *Quo credit*, pro quo nescio an reponendum sit quod Bentleius dedit *Qua redit.* Potuit enim *oc* ex Lombardica figura *a* prouenisse: et persimilis est locus I. 45 *Qua mundus redit*, quem iam citauit Bentleius. Et tamen habet *Quo* quibus defendatur. Nam si mundus h. e. caelum *redit* siue sursus reuoluitur *in terras*, recte dicitur *huc* redire, nec *Quo* in *Qua* corrigendum erat: non magis quam apud Propertium iv. (v.) 1. 9 *Quo gradibus domus ista Remi se sustulit*, quem optime explicauit Hertzbergius.

u. 593 inter *Ni duo decedant* et *Si duo decedant* non facile diiudicatur: sane sequitur 596 *Solis erat numero nisi deesset olympias una*, sed praeiuerat 569 *Ter quinos, Capricorne, dares, si quattuor essent Adpositi menses.* Itaque ad codices res redit; quorum cum *Si* in deterioribus, *Ni* in Gembl. et Voss.[2] sit, his

auctoribus praeferendum *Ni* erit. Quod u. 594 codices *b* et Parisinus Stoeberi uariam lectionem exhibent *superabitur*, non statim abicienda ea erit; neque tamen uera mihi uidetur esse. Nam sic iv cardinum, ut viii regionum numeri gradatim descendunt, hoc ordine:

1. Cardines 78, 75 uel 77, 76 uel 75, 61.
2. Regiones 68, 63, 57, 50, 42, 23, ?, 12.

Inspiciamus uerba. Luna in Horoscopo

octonos decies ducetur in annos
Ni duo decedant; at cum sub culmine summo
Consistet, tribus hic numerus fraudabitur (*al.* superabitur) annis

h. e. luna in Horoscopo dabit annos 78, in summo cardine eundem numerum tribus subductis, h. e. 75, uel si *hic numerus* ad *octonos decies* referendus est, 77. Et hoc uerum esse, suaderet constans diminutio rationum (78, 77, 76) nisi Olympias v potius annorum, non ut Scaligero placuit, IV habenda esset: sic enim Olympiada intelligunt et Ouidius et post eum Martialis. Pont. iv. 6. 5 *quinquennis Olympias*, Mart. vii. 40. 6 *ter senas uixit olympiadas*, cf. quae Friedlaenderus ad iv. 45. 3, 4 adnotauit. Cardinum igitur euadunt numeri 78, 75, 75, 61. At si *superabitur* legeris, luna in summo cardine aut 78 + 3 = 81 aut 80 + 3 = 83 annos dabit: quod numeros peruertit gradatim descendentes.

u. 595 recte emendasse Huetium ostendit *quadragenus* Vossiani², quod facile ex *quadragenos* corrumpi potuit, neque est cur *actus* mutetur, quod hic, ut Huetius censebat, de solis cursu dicitur ut I. 573. In sequente uersu, eodem Vossiano teste, non *olympia luna* sed *olympias una* scribendum est; solus hic enim e nostris *s* seruauit *olimpus*[1] *luna;* ut reor, *olimpias* in *olimpⁱas*, hoc in *olimpasi*, post in *olimpusl* cesserat.

III. 603, 604 sic extant in Gembl.

Quaeque super signum nascens a cardine primum
Tertia forma est et summo iam proxima caelo.

603 a cardine *Voss.*² *Cus. b* de cardine *Voss.*¹ hoc ordine *o.*

[1] Non est *olimpo*, ut, Iacobus testatur, sed *olimp9*.

604 Tercia (Tricena *b*) forma est et summo iam p. c. *Cus. Voss.*[1] *b o* Tercia forma et summo i. p. c. *Voss.*[2] T. forma uenit *Breiterus comparato* 606 Quaeque infra ueniens. *Lucianus Mueller de re metr. p.* 216 forma est *posse quidem seruari*, est *non inclinato, potius tamen* forma erit *scribendum opinatus est: cui non adsentior.*

Describit undecimam regionem proximam decimae et uno tantum interuallo a uertice caeli distantem. Sed uitium traxit 604. Fortasse *subit* scribendum est, h. e. sequitur uel loco suo procedit.

III. 606, 607 sic extant in Gembl.

Quaeque infra ueniens spatio diuisa sub aequo
Ter quinquagenas complent sua munera bruma.

606 *fort.* aequo est. 607 Ter *codices* Per *Scaliger* complent *Voss.*[2] sua complet m. brumas *Voss.*[1] complet sua munera brumas (bruma *Cus.*) *Cus. b o.*

Videtur *est* excidisse in fine u. 606. Sequentem uersum optime Scaliger emendauit

Per quinquagenas complet sua munera brumas.

Quis credat etiam in Molinii editionem (1551) durasse *Ter*, ut cornicum uita posset hominibus contingere?

III. 614–617 sic extant in Gembl.

Quod super occasus temptatum est dena remittit
Annorum spatia et decimam tribus applicat auctis
Interius puerum interimet bissexperactis
Immatura trahet natalis corpora morbus.

614 *ut Gembl., Cus. Voss.*[1] *b o et, Iacobo teste, Lips. Sed in Gembl. Thomasius adnotauit* 'temptatum (tũ *in ras.*) est (e *in ras.*) dena *ex* deni *corr. pr. m.*' temptatum ter dena *Voss.*[2] temptatum est ter dena *duo codices a Bolligio collati, Vrb.* 667. 668 temptatum est dona *Vaticanus* 5160 renutrit *Vrbinates ambo* 615 decum *Voss.*[2] *et Vrbinates omissa reliqua parte uersus* aplicat *Cus.* a^{u}ctis *b.* 616 Interius puerum *Voss.*[2] *omissis quae secuntur in uersu* bis sexque *Cus. et plerique* Inferius *ed. Bonincontrii.*

Inmatura *Vossiani* trahant *Voss.*[2] trahent *Voss.*[1] trahet *Cus. b o* corpore *Voss.*[2] morti *Cus. Vossiani b o.*

Quia numeri annorum descendunt gradatim, uersu autem 612 praecessit numerus annorum 23, necesse est minor hoc sit numerus cuius in 614 mentio fit. Itaque non potest uerum esse *ter dena*, quod extat in Voss.[2] et Vrbinatibus. Sed nec *ter sena*, quo significari potuit regionem *super occasus* siue VIII octodecim annos ex uiginti tribus *remittere* et condonare nascenti, ea uersus conformatio recipit quae in Gembl. tradita est.

> Quod super occasus temptatū (tū *in ras.*) est (e *in ras.*) dena remittit
> Annorum spatia.

Nam quod emendatio Bentleii *templum est*, *hoc* multis atque etiam Iacobo uera uisa est, miror tot homines pro certò recepisse quod incertissimum sit. Rarissima est huiusmodi corruptela, *templum* ut in *temptatum* abeat: aliud requiro. Succurrunt non pauca, *templatum*, *metatum*, *intentum*; ne *templorum* quidem prorsus abiciendum; duo enim dicit, superius 614, inferius 616, h. e. supra occasum et infra.

Quod *templatum* in his est, uocabulum alioquin inauditum, poterat in Manilii ἅπαξ εἰρημένοις, quae Kramerus congessit de Manilii elocutione pp. 32, 33 etiam hoc esse. Qui *clepsisset perodit breuiare*[1] *aurare* (IV. 515) usurpauit, cur huic *templare* deneges? Id aut inter archaismos referendum esset aut ex composito *contemplo* ductum, eodem modo quo nuper in titulo *de sumptibus ludorum gladiatoriorum minuendis* quem hoc ipso anno Mommsenus edidit in Obseruationibus Epigraphicis p. 389 sqq. ex compositis *inplere*, *replere*, *conplere* forma simplex *plendi* inuenitur. Certe uim suam uidetur habere *templatum* in uersu Manilii: est enim 'quod spatium caeli in templum descriptum est super occasus': inde facile suppleas ad *Interius*, uel *Inferius*, id quod in uerbo *templatum* latet, *templum*.

Versus quoquo modo restituendus erit, *dena* retinendum censeo, *remittit* sic interpretor ut dicatur regio VIII ex uiginti tribus annis, quos prior regio XII tribuerat, decem remittere siue subtrahere. Relincuntur anni tredecim, neque hi soli

[1] 'Illud *aurauit* quae audax uerbi fictio uidetur esse.' Carrio Antiq. Lect. i. 20.

sed cum accessione quam sic enuntiauit *et decimam tribus applicat auctis.* Quae uerba cum in antiquissimis Gembl. Cus. Lips. inueniantur, non uideo cur repudientur, quamuis a Voss.[2] et Vrbinatibus duobus absint; habentque ut non certam, sic nec absurdam interpretationem. Vult enim aut summae, quam dixit (13, si recte locum capio) addendos esse tres annos, singulos cum decima parte anni; aut ex summa ea (13) tres annos esse quibus decima pars anni addenda sit. Priore ex ratione fiunt anni $13 + 3 + \frac{3}{10}$: ex altera $10 + 3\frac{3}{10}$. Annus si in dies 365 digeratur, summa haec $\frac{3}{10}$ erit dierum $109\frac{1}{2}$: ut aut annos 16, dies $109\frac{1}{2}$, aut annos 13, dies $109\frac{1}{2}$, duraturus sit is qui sub VIII regione ortus fuerit. Non equidem infitior aegre intelligi quid poetam mouerit ut hac una in regione menses ac dies in rationem uocaret: sed minus id mirabitur qui considerarit quantum numeris et computationibus astrologi tribuant. Ecquis nescit Romanorum elogiis solere non annos solum uitae, sed menses diesque atque etiam horas inscribi? Sin hoc negabis fieri potuisse, uerbis saltem sensum suum subesse concedes: 'it adds an increment of $\frac{1}{10}$ to each of three years': recte enim anni, quibus accessio fit decimae partis, *aucti* sic dicuntur.

u. 676 *interimet* uocabulum genethliacorum. Firm. iii. 4 *si uero per noctem in horosc. parte fuerit inuentus, faciet primum nasci inter fratres, uel qui ante ipsum natus fuerit, interimet.* ib. *Semper Iuppiter in cardinibus geniturae collocatus, aut primos nasci faciet, aut fratres eius maiores interimet.*

III. 629–631 sic extant in Gembl.

Tunc cererem fragili properat destringere culmo
Campus et in uarias destringunt membra palestras
Et trepidum pelagus iactatum languet in undas.

629 Cum *Cus. Voss.*[2] Quum *Voss.*[1] properant *Voss.*[2] *solus.* 630 Campos *o* destringit *Cus.* destringunt *uel* distr. *cett.* Graius et in patrias denudat membra p. *Bentleius.* 631 tepidum *b o* iactatis . . . in undis *b o* pacatas *Breiterus.*

Mire lusit in uerbo *destringere* Manilius, quod 629 de metendo dicitur, 630 de membra nudando in diuersas exercitationes: uno

uocabulo dicimus Angli 'strip.' Sed uere hoc traditum esse Gembl. ostendit, ubi *properat campus destringere*, deinde *destringunt membra:* nam si daret *properant*, dein *campus . . . destringit* (quod edidit Iacobus), magis in dubitationem res ueniret, cum uersum alterum interpolator potuisset inferre. Nunc grata quadam alternatione campus destringit cererem, uiri membra; hoc quaesitum et ex more Manilii.

u. 631 *iactatum* quod habent codices, eleganter Iacobus in *tacitas tum* emendauit. Sed simplicius erat *iactatum* in *iactatu* refingere, quod ex adiectiuo *trepidum* penderet: *maris iactatum* apud Plin. H. N. xiv. 118 reperies.

III. 637–641 sic extant in Gembl.

Parte ex aduersa brumae Capricornus inertem
Ter minimas cogit luces et maxima noctis
Tempora producitque diem tenebrasque resoluit
Inque uicem nunc damna legit nunc tempora supplex
Tunc fugit omnis ager clausum mare condita castra.

637 ex aduerso *Voss.*[2] brumae *Vossiani* brumam *b o fortasse* Partem ex aduerso brumae. 638 Per *Vossiani b o* noctes et maxima luces *Cus.* 640 legit *om. b o, et b quidem spatio relicto* facit *ed. Rom.* 1510 nunc facit quidem *ed. Bonincontrii* suplet *Voss.*[2] supplet *Voss.*[1] *b o.* 641 figit *Voss.*[2] riget *b o.*

637 *brumae* codices antiquiores tradiderunt, *ex aduerso* Voss.[2] His retentis *Parte* in *Partē* refingo; nam *ex aduerso* ex 658 *Huic ex aduerso* praesidium habet. Mox 640 *damna legit*, quod praestant Gembl. Cus. Lips. et Vossiani, non est mutandum, quoquo modo explicaueris, siue est recognoscit 'takes note of,' 'passes in review,' siue tralatione ducta ab eo qui tortus funis sensim recolligit, 'gathers in,' prius enim contrahit funem mox aliorsum laxaturus et explicaturus (*tempora supplet*), siue denique est 'gathers up,' ut potius reor: sumpta metaphora ab eo qui quae manibus exciderant, rursus sublegit recolligitque. Itaque non sic opponuntur *damna legit, tempora supplet* ut illud ad *Per minimas cogit luces et maxima noctis Tempora*, hoc ad *producitque diem tenebrasque resoluit* referatur, sed fingitur Capri-

cornus nunc lucis dispendia recolligens, nunc his ipsis dispendiis utens ad producenda ab altera parte tempora.

Vltimo uersu 641 *fugit* ex *friget*, hoc ex *riget* corruptum uidetur. Totum locum sic scribendum censeo,

> Partem ex aduerso brumae Capricornus inertem
> Per minimas cogit luces et maxima noctis
> Tempora, producitque diem tenebrasque resoluit.
> Inque uicem nunc damna legit, nunc tempora supplet.
> Tunc riget omnis ager, clausum mare, condita castra.

'Opposite (to Cancer) Capricorn contracts winter's sluggish quarter by very short days and very long nights, and then again prolongs the day and breaks up the darkness, alternately gathering in the lost amounts of light, and making up by their help the subtractions of time.'

LIB. IV.

IV. 37–40 sic sunt in Gembl.

> Quid referam cannas admotaque maenibus arma?
> Varronemque pugū magnum quam uincere possit
> Postque tuos tasimene lacus fabiumque morantem
> Accepisse iugum uictae cartaginis arces.

38 fuga magnum *Bentleius*. magnumque *o* quam uiuere poscit *Cus*. quod uiuere posset *b o*.

Mirifica mihi uidetur emendatio Ricardi C. Jebb locum sic refingentis (Life of Bentley, p. 145).

> Quid referam Cannas admotaque moenibus arma,
> Varronemque fuga magnum, Fabiumque morantem?
> Postque tuos, Thrasymene, lacus quom uincere posset,
> Accepisse iugum uictae Carthaginis arces.

IV. 50–54 sic extant in Gembl.

> Quis te Niliaco periturum littore, Magne,
> Post uictas Mitrydatis opes pelagusque receptum
> Et tris emenso meritos ex orbe triumphos

Cum iam etiam posses alium componere Magnum
Crederet?

53 cognoscere *Cus.*

Componere Bentleius sic interpretatus est: 'cum tantae potentiae esses ut *etiam alium* cuicumque fauere uelles, posses *magnum* efficere.' Durius hoc; nam Alexandrum uidetur significare Manilius, qui ante Pompeium nomen Magni adeptus esset, triumphos autem et ipse ex omni parte terrarum reportasset. Dixit igitur *componere* comparare Alexandro, siue gladiatorie parem producere quocum certaret.

IV. 82–85 sic extant in Gembl.

Ecce patrem nati perimunt natosque parentes
Mutuaque armati coeunt in uulnera fratres
Non nostrum hoc bellum est coguntur tanta moueri
Inque suas ferri poenas lacerandaque membra.

83 moueri *Cus.* mouentur *Voss.*[2] mouere *cod. Parisinus, b o.* Stoebero adstipulor *mouere*, non *moueri*, scribendum esse. Saepius hoc uitium recurrit in codicibus, e.g. Catull. lxviii. 110 *Siccari* pro *Siccare.* Sic Aetn. 294 *Pellit opus collectus aquae uictusque moueri Spiritus*, *moueri* quod habent codices uidetur ex *mouere* corruptum.

IV. 85–87 sic sunt in Gembl. et Cus.

Quod decios non omne tulit non omne camillos
Tempus et inuicta deuictum morte catonem
Materies in rem superat sed lege repugnat.

86 *sic Voss.*[2] *et Lips.* inuictum deuicta *b* etiam uictum deuicta *o* inuita deuictum morte Catonem *Marklandus ad Stat. S.* ii. 6. 76 *adlato Luc.* vi. 530 *fatis debentibus annos Mors inuita subit. Num* inuictum uicta de morte Catonem? 87 res lege *Bentleius.*

Quod de coniectura posui *inuictum uicta de morte Catonem* hinc putabam explicari uitium quo Gembl. et ueterrimi codices laborant. Scriptum fuerat

in uictum uicta de morte Catonem

mox *uictum* ante *uicta* omissum, super lineam supplerat scriba,

uictum
sic *in uicta de morte;* hinc transpositis uerbis factum est *in*

uicta de uictum morte. Sententia erit Catonem cum morte luctatum huic non cessisse, sed inuictum usque ad finem perdurasse. Praestitit se omnibus indomabilem, etiam a morte: quae ne ipsa quidem uicit accersentem sponte nec cedentem turpi fuga, sed quasi triumphum a morte, dum moritur, reportantem.

u. 87 recte tradita credo quae codices habent *sed lege repugnat.* Videtur inpersonaliter positum *repugnat,* 'sed est quod ex lege repugnantiam faciat.' Legem dicit fati qua coguntur res et reguntur, ut non omnia tempora eosdem ferant, sed bonos alia, alia peiores.

IV. 134 sqq. sic extant in Gembl.

tantum est opus ipsa suismet
Asseruit Pallas manibus dignumque putauit
Seque in araneo magnum putat esse triumphum
Haec studia et similes dicet nascentibus artes
Et dubia in trepido praecordia pectore signum
Seque sua semper cupientia uendere laude.

136 inarachneo *Voss.*^{2} inaragnea *o* in arachnea *b* magnam *Voss.*^{2} *unde Iacobus dedit* Seque in Arachnaeo magnam putat esse triumpho. Seque in Arachnaea magnum portasse triumphum *Bentleius.* 137 figū *Voss.*^{2} figit *o* figet *b.*

Speciosae sunt coniecturae ut Bentleii, sic non minus Iacobi: ut difficilis sit inter utrumque diiudicatio. Haereo tamen ut in non optimo poeta: cui nec *putat* post *putauit* abiudicandum, nec elegans illud et Ouidianum magis quam Manilianum *in Arachnaeo magnam putat esse triumpho* omni ex parte conueniebat. Quid quod I. 789 *Certantes Decii uotis similesque triumphis* non dissimilis usus est uerbi? nam ut in Arachnaeam uincendo Pallas, sic in certando uotis Decii non triumphant magis quam triumphi specimen edunt, suntque quodammodo ipsi *triumphi.* Iuuen. xi. 194 *similisque triumpho Praeda caballorum praetor sedet,* ubi Mayor citat locum Liuii xxviii. 9, 15 *iret alter consul sublimis curru, multiiugis, si uellet, equis; uno equo per urbem uerum triumphum uehi.* Sed et deus fingitur Triumphus. Et amat prosopopoeias huiusmodi noster: sic Xerxes dicitur

maius et ipso Naufragium pelago IV. 66. Certe *triumphum* uniuersi codices, *triumpho* ne unus quidem praestat.

Pro *signum* uel *figum* quae in Gembl. et Voss.[2] sunt, nescio an scribendum sit *figunt*, sc. qui nascuntur: pro *Et* reposuerim *Set*. Iam *dubia figunt praecordia* qui praecordia non fixa habent in firmo pectore, sed dubia in trepido, uelut sub Haedis nati V. 109 *lasciua signant pectora* h. e. signa uel imaginem lasciuiae animo imprimunt, siue impressam gerunt pectoribus lasciuiam. *Dubia* cum *figunt* arte cohaeret, et est quoddam ὀξύμωρον, non dissimile Homerico οὐδ' ἀλαοσκοπιὴν εἶχε; nam qui ἀλαὸς est speculari nequit; itaque ἀλαὴ σκοπιὴ oxymoron est: de qua re dixit D. B. Monro in Actis Philolol. Oxon. anni 1883–1884, p. 1.

IV. 180–182 sic extant in Gembl.

> Hoc habet hoc studium positis ornare superbis
> Pellibus et captas domibus praefigere praedas
> Et pacare metu siluas et uiuere uictor.

180 Hoc auet hoc studium est *Heringa Obseruat. Crit. p.* 71 *et nuper Breiterus. Praeiuerat Io. Is. Pontanus ad Macrob. S.* i. p. 248 *idemque ipse diuinaueram* positis *Cus. Voss.*[2] postis *b o* superbit *Breiterus.* 181 refrigere *Cus.* 182 capare *Cus.* metu *codd.* arcu *Marklandus* ueru *Baehrens Num* manu? uicto *b et sic cum Scal. et Marklando Rossbergius* uicto *an* uictu *sit in o aegre dignoscitur* uictor *reuocarat Carrio Antiq. Lect. p.* 27 (1576).

Optime de hoc loco disseruit Io. Is. Pontanus ad Macrob. S. I. p. 248 'Scriptum aio poetae *pacare metu*, conuenientissime in hoc animal, quod, ut dixit Macrobius, praestat cetera. Tyrannus enim dominatorque quodammodo in siluestri illo ac uasto regno est, quem oderunt dum metuunt. Deinde ridet magis *uiuere uictor*, nam in scriptis intelligo esse *uicto*, non *rapto*. Plautus, *uirtute dixit uos uictores uiuere* &c. (Amphitr. Prol. 75). Denique *Hoc habet* fuerit *hoc hauet*.'

Valde speciosa est coniectura Breiteri *superbit*, qua recepta nihil difficultatis habet nominatiuus *uictor*. Sed non idcirco ueram credo; nam locus Statii Theb. viii. 588 *Praeterit haud dubium fati et spoliare superbit Oenides* aliam signifi-

cationem habet, ut ipse Breiterus confitetur; est enim i. q. arroganter spernit. Atqui *uictor* retinendum esse clamant ueterrimi codices, clamat Plautinum illud, quod Pontanus adtulit, *uirtute dixit uos uictores uiuere;* contra *uicto* ne Bentleius quidem, qui id ex Rud. iii. 2. 7 *Facite hic lege potius liceat quam ui uicto uiuere* tutatus est, satis aut aliis aut sibi adprobauit. Itaque quamuis et Bentleius et alii complures uitium subodorati sint in illis *Hoc habet hoc studium*, huc nunc reuoluor ut retinere ea malim quam scripto *Hoc auet, hoc studiumst* iniucundam et inspeciosam consecutionem inferre orationi. Nam *superbis* quidem uere traditum esse persuasum habeo: meminerat Aen. viii. 196 *foribusque adfixa superbis Ora uirum tristi pendebant pallida tabo*, ib. 721 *Dona recognoscit populorum aptatque superbis Postibus.*

IV. 200, 201 sic extant in Gembl.

> In uitio bonus ut teneros pudor impedit annos
> Magnaque naturae cohibendo munera frenat.

u
bonus ut *Cus.* bonạs ut *Lips.* bonas ut *Voss.*^{2}, *non* bonas in. In uitio bonus: at *Scaliger* Ingenio bonus: at *Bentleius.*

Descripsit natos sub Virgine 189–199: tum adnectit quae has dotes conpensant uitia, pudorem inprimis. Itaque scribendum erat

> In uitio bona sunt (sūt): teneros pudor impedit annos,

h. e. sed horum in uirtutibus inest quod uitio imputes; solent esse pudibundi; hoc proborum quidem est, nocet tamen et impedimento est utentibus. Est, ut uere intellexit Scaliger, *ὀξύμωρον.*

Locum Bentleius tractauit infelicissime. Quid ad palaeographiam uitiosius illo *Ingenio bonus: at?* Quid peruersius quam id negare quod rectissime Scaliger intellexerat, subesse uerbis *ὀξύμωρον*?

IV. 213, 214 sic sunt in Gembl.

> Non alio potius genitus sit Seruius astro,
> uel quam
> Qui leges potius posuit cum iura retexit.

213 alius *Cus.* 214 legem *Cus.* quam *Cus. Voss.*[1] cum *Voss.*[2] Loquitur de Seruio Sulpicio, iurisconsultorum principe, eumque sic definit ut dicat non tam interpretem extitisse legum quam latorem ac conditorem. Iam Bentleius emendauit *leges* proprias *posuit;* propius a litteris abest *proprius*, h. e. magis proprie: quod si satis latinum est, *quam* potius quam *cum* scripserim.

IV. 217 sqq. sic extant in Gembl.

Scorpion armata uiolenta cuspide cauda
Qua sua cum phebi currum per sydera ducit
Rimatur terras et sulcis semina miscet
In bellum ardentes animos et martia castra
Efficit.

217 armati *Voss.*[2] *unde* armat uti *Iacobus* Scorpios armatae metuendus cuspide caudae *Bentleius* Scorpius armatus uiolenta cuspide caudam *Heringa* Scorpion armata uiolentum conspice cauda *Breiterus.*

Scorpion nominatiuum esse posse, nec II. 213 *Nunc Pisces Cancer et cancri Scorpion ictu* neque hic locus demonstrat. Vterque uersus uitium traxit: illum Bentleius sic refinxit *Tunc Pisces et Cancer et acri Scorpios ictu;* hunc, Iacobi secutus sententiam, non emendationem, sic credo restituendum *Scorpion armauit uiolenta cuspide cauda.* Cauda armauit Scorpion uiolenta cuspide, sicut apud Vergilium Aen. xi. 682 *Agrestesque manus armat sparus*, apud Valerium Arg. vi. 97 Baternas *crudi mora corticis armat:* paullo aliter Manilius ipse V. 343 *Nec prius armauit uiolento fulmine dextram* (Iuppiter). Sequentes uersus 218, 219 Bentleius explicauit: at 220 facit asyndeton more Maniliano. Simillima est conformatio V. 234–236 *Vltima pars magni cum tollitur orta Leonis Cratera auratis surgit caelata sub astris. Inde trahit quicumque genus moresque sequetur Irriguos ruris campos.*

IV. 244, 245 sic scripti sunt in Gembl.

nam quicquid in usus
Ignis agit poscitque nouas ad munera flammas.

aget *Cus.* eget *Voss.*[2] *et corrector Lipsiensis.*

Magnum hic lucrum ex Cusano, in quo *aget* inueni. Hoc enim ex *eget*, ipsum serius in *agit* corruptum fuisse existimo.

IV. 246 sqq.

scrutari caeca metalla
Depositas et opes terramque exurere uenis
Materiamque manu certa duplicari et arte.

248 duplicariet *Cus.* duplicarier *b o et sic Huetius* manus certam duplicare per artem *Marklandus* duplicare repertam *Hauptius* duplicare metalli *Luc. Mueller de r. m. p.* 398 duplicabis et arte *Breiterus.*

duplicari et Huetius credidit corruptum ex *duplicarier*, et uim actiuam habere; quod sane commendant Cusanus et palaeographia. Sed nec *duplicari* deponentis sensu usurpatum esse Huetius ostendit, nec facile quis peruicerit mediam aliquam, ut Grammaticorum sermone utar, significationem subesse uocabulo: itaque *duplicare bis* scripserim, uidetur enim loqui poeta de auro multiplicando, et quidem in quadruplum. Potuit error oriri ex compendio z quod modo *et*, modo *bis* significat.

IV. 263, 264 sic sunt in Gembl.

Littoribusque nouis per luxum illudere ponto,
Et uarios fabricare lacus et flumina ficta,
Et peregrinantes domibus suspendere riuos.

Omnia hic artificiosa dicit: non igitur *uarios* fabricare lacus scribendum erat, sed *uanos* siue arte factos, non naturales.

IV. 270 sic traditus est in Gembl.

Mite genus dulcesque fluunt ad sydera partus.

Codices omnes *ad sidera.* Hoc sic interpretor: ortos sub Aquario natura mites esse, et aquarum instar, quae siderum in imaginem ex urna eius profluant, lene quiddam et remissum et quasi liquidum in moribus suis praeferre.

IV. 282–284 sic extant in Gembl.

Iamque huc atque illuc aligem conuertere clauum
Et frenare ratem fluctusque effundere rectos
Aut remis agere et lentas inflectere tonsas.

282 caliginem *Cus.* caligine *Voss.*[2] *b o* agilem *Scaliger.* 283 effindere *b o num* offendere?

Quod ab omnibus receptum uideo *effindere*, cum uetustissimi conspirent in *effundere*, uellem inauditum uerbum aliunde adprobassent. Quid enim est *effindere?* nullam equidem uim in praepositione sentio. Melius esset *offindere*, tutius *offendere* cui accusatiuum Cicero non semel adnexuit, *o. aures* Ligar. viii. 24, *oculos* Leg. agr. ii. 21. 56, *scopulum* Sex. Rosc. xxix. 79, de Orat. ii. 74. 301 *ne quid offendas, ne quo irruas.*

An recte traditum est *effundere*, referturque ad gubernatorum peritiam qua clauum sic regunt ut et dextra pars gubernaculi et sinistra aequabiliter fluctus moueat? Sic enim *recti* ab utroque latere puppis, h. e. pariter et quasi ad lineam effunduntur.

Nam et IV. 515

Cum uitreum fundens aurauit uellere pontum,

fundens uerum potest esse; fudit enim uellus suum Aries: quamuis in incerto res sit, *findens* cum in Voss.[2] compareat.

Non recte, si me audis, de hoc u. disseruit Henry Aeneideorum iii. p. 637 ad Aen. viii. 57 '*fluctus effindere rectos* to plough the wave lying in a right line before the ship, not breasting the wave, but running along it, the ship's length and the wave's length being parallel.'

Mire in his uersibus et qui secuntur tres Manilius septies easdem syllabas-*ĕrĕ* accumulauit, *conuertere—effundere—agere—inflectere—euerrere—exponere—carcere.*

IV. 366 sqq. sic extant in Gembl.

Nec tua sub titulis fallantur pectora notis
Dissimulant non ostentur mortalibus astra
Altius est acies animi mittenda sagacis
Inque alio quaerenda mali cunctis sequendum
Viribus.

366 notis *etiam b o* nodis *Vossiani* noctis *ed. Molinii* 1551 notis *Carrio ex Gembl. reuocauit Antiq. Lect. p.* 51 *An* nudis? 367 ostentur *Vossiani Cus.* ostendunt *b o et sic Scaliger in ed.* 3, *quamuis ex coniectura dederit* ostentum se ostentant *Bentleius.* 369 alto *Scaliger* quaerendo *Voss.*[2] *et Lips.* mali *Voss.*[1] *Cus.* mali quod est *Lips. sed a corr. del.* quod est, *Iacobo testante* mala quid

Voss.[2] manet *ed. Rom.* 1510. manent *Iacobus Fort.* Inque alio quaerendum aliquid iunctisque *plerique.*

Praeter solitum uitia hic contraxit Gembl., praecipue in 369 cuius uera conformatio a ceteris MSS petenda est. Qui cum *quaerenda* (uel *-do*) *mali* (uel *-la*) *quid* (uel *quod est*) praestent, hinc eruo *quaerendu mali quid*, h. e. quaerendum aliquid: neque *in alto*, sed *in alio*; nam singula astra tot dant uires, dominos quotcumque receperunt (315), quod quid est aliud quam *iunctis uiribus* non *cunctis?*

ostentur Bentleius in *ostentant* refingebat, quo uerbo Manilius nusquam alias usus est. Contra *ostendunt* saepius apud eum legitur, et in locis simillimis III. 513 *Per quos praecipuas ostendunt singula uires*, I. 464, 5 *formas disiungere tantum Contenta et stellis ostendere sidera certis*, IV. 439 *Ostendisse deum satis est, dabit ipse sibimet Pondera.*

Toties si Gembl. a uero aberrauit, ne *notis* quidem pro certo habendum est. Bona pars codicum *nodis* cum praestet, ex hoc *nudis* eruo: *titulis nudis*, siue per se, non est credendum. III. 158, 9 *nunc ne permixta legentem Confundant, nudis satis est insistere membris.*

IV. 382–386

Nec leo uenator ueniet nec uirgo magistra
Mensuris aut libra potens aut Scorpius armis
Centaurusque feri signi Capricornus et undis
Ipse tui iuuenis geminique per aequora pisces
Mixta sed in pluris sociantur sidera uires

384 feris igni *Voss.*[1] *m. sec.* ferus igni *Voss.*[1] *m. pr.* feris/igni *ed. Rom.* 1510 385 tui *Vossiani* suis *b o uulgo* *Malim* tuis.

Miror neminem *Ipse tuis* reuocasse, more Maniliano, de quo fusius dixi ad lib. II. Semper fere unum aliquod e Zodiaci signis sic adloquitur poeta.

Totus igitur locus sic euadet:

Nec Leo uenator ueniet, nec Virgo magistra,
Mensuris aut Libra potens, aut Scorpius armis,
Centaurusque feris, igni Capricornus, et undis

Ipse tuis, Iuuenis, geminique per aequora Pisces.
Mixta sed in pluris sociantur sidera uires.

IV. 411 sqq.

Sed proprias partes ipsas spectare memento,
Vel glacie rigidas, uel quas exusserat ignis,
Et sterilis utroque †tamen quas largior humor
Quaque minoribus ouit.

413 tamen quas *Cus. Voss.*[2] *b o.* 414 minoribus ouit *Voss.*[1] *Cus. et sic Lipsiensis teste Iacobo* minoribus obit *o* minor ibi tonit *Voss.*[2] *In G post* Quaque *spatium fuerat septem uel octo litterarum, quod recentior manus sic suppleuit* iam sucus obit. *Idem in ed. Rom.* 1510 *repperi.*

Prope ad uerum uidetur Iacobus accessisse scribendo

Et sterilis utroque, tumet qua largior humor
Quaque minor riuos torret

nisi quod *torret* uix conuenit. Nescio an scripserit poeta

Et sterilis utroque, *manet* qua largior humor
Quaque minor riuus *currit.*

Certe non male sic inter se opponuntur stagna largioris et stantis aquae, riui alueis sed exiguo flumine currentes. Et *currit* quidem in *urit* deprauatum extat u. 424: nunc in *cuit*, post in *ouit* demutatum est.

IV. 416 sqq. sic sunt in Gembl.

Est aequale nihil terrenos aspice tractus
Et maris et partis fulgentia flumina ripis
Crimen ubique frequens et laudi noxia iuncta est
419 Sic sterilis terris laetis interuenit aruis
Ac subito rumpit paruo discrimine faetus
Et modo portus erat pelagi iam facta caribdis
Laudatique cadit post paulum gratia christi.

417 partes *Voss.*[1] notis *o* pronis *Bentleius* ruptis *Iacobus* fulgentia *Voss.*[1] *Cus.* fulgientia *o* fugientia *Voss.*[2] riuis *Bentl.* 419 torres *Hauptius et ante eum Breiterus de emend. Manil.* p. 15. 420 fetus *codd.* foedus *Iacobus.* 421 'portus *ex* partus *fecit pr. m.*' (*in Gembl.*) *Thomasius.* m uasta *Voss.*[2] 422 Christi *Gembl. solus* ponti *cett.* *Fort.* xysti (systi).

In 418 *fulgentia* Gemblacensis, *o* dat *fulgientia*, quo confirmatur emendatio *fugiente cometa* pro *fulgente* I. 826. *partis* ex *pactis* ortum credidit Breiterus, h. e. concesso a natura cursu; ego ex *raptis*[1]. In 420 egregia est emendatio Hauptii *torres* pro eo quod habent codices *terris*. Mox Iacobi coniectura *foedus* nec litteris disconuenit nec sensui: uult poeta naturae legem rumpi idque tam subito, tam nullo paratu ut nihil uideatur a consueto rerum ordine demutatum. At in 422 *uasta* pro *facta* Voss.[2], in 423 *Christi* pro *ponti* Gembl. tradidit. Illud uix uero simile uidetur, rectiusque fortasse ceteri codices *iam facta Charybdis* exhibent, h.e. quae iam facta est Charybdis: sed *ponti* Manilium tanquam *laudati* fecisse mentionem nego; nec Thomasium audio qui Bentleio obsecutus monacho nescio cui semisomni hoc imputat. Dic mihi, ubi terrarum huiusmodi pontum inuenies, qui modo laudem meritus sit tanquam amoena omnia in se habuerit, rursus exciderit ex gratia et euiluerit? Sed ut portus qui fuerat in hominum usus factus post negligitur fitque uastum mare, sic horti postquam ingenti cura et labore in laudem uenerunt, paulatim a cultoribus neglecti, saepimentris spoliati suis, quidquid in se artificis habebant, deperdunt, nec solum arbores plantasque et flores sed et spatia et ambulationes. Itaque reponendum credo *xysti* siue *systi*.

Nam si (Ramsay, Latin Prosody pp. 273 sqq.) Vergilio licuit scribere *Ponite spes*, Propertio *Brachia spectaui*, *bene spondebant*, *Consuluitque striges*, *uenumdata Scylla*, Ouidio *littera scripta*, *considere scamnis*, *spectabere scaena*, Lucretio Tibullo Ouidio Martiali Statio *smaragdos* in fine hexametrorum ponere; si Horatio *quia scilicet*, *fornice stantem*, *uelatumque stola*, *saepe stilum*, *fastidire Strabonem* abiurari nequeunt; si Lucanus ii. 672 *tumidum super aequora Sersen*[2] h. e. Xerxen non refugit; si denique ipse Manilius (Kramer de Manilii elocutione p. 18) *ordine zonae*, *fastigia zonae* (III. 319, 625) uocalem ante z bis cor-

[1] Sic in uersu Propertii iv. 7. 59 *Ecce coronato pars altera parta phaselo* (sic enim codices) *rapta* reposuerim.

[2] Bentleius *Persen* ex Colbertino scribi uoluit: sed *Sersen* uel *Xerxen* praestant plerique codices et scholia Bernensia.

ripuit; cur *gratia xysti*[1] *siue systi* eidem denegetur? praesertim cum *Xystus, Sixtus* indiscrete idem uir appellatus sit, ut ex multis monumentis apparet, et ex laterculis episcoporum Romanorum quae Clintonus edidit Fast. Rom. ii. pp. 535, 537. Cadit enim *xystus* sub regulam quam Romanorum poetae in Graecis utebantur uocabulis: qua de re audi Lucianum Mueller sic disserentem in libro de re metrica p. 318: 'Ac primum quidem saepe positionem neglexerunt in uerbis ab zeta incipientibus, quippe quae Latino ore idem plerumque sonuerit quod simplex sibila. Ceterum similiter x prioris partis substantiam cum exuisset—unde et uulgari sermone xanta dicitur pro sancta [cf. Terentian.[2] 1154 sq. Commod. p. 158. 21]—, eandem traxit libertatem, nisi inopia uerborum ab ea incipientium ad nihilum res redigeretur.'

IV. 431–435 sic extant in Gembl.

Sed quis tot numeros toties sub lege referre
Tot partes iterare queat tot discere summas
Per partis causas faciem mutare loquendi
Incidimus si uerba piget sed gratia deerit
In uanumque labor caedit quem despicit auris.

432 discere *Voss.*[1] dicere *Voss.*[2] 433 Per partis *corrector Lipsiensis*. Per patris *Voss.*[2] *et Lips. Iacobo teste*. Per paruas *Voss.*[1] Per partis causas *seruauit Scaliger* '*per singularum*

[1] In loco Varronis apud Non. 169. 10 *a pariete aut egistis* latet *xystis*, ut intellexit Scaliger. Illa *g* ex *x* an ex ṣ prouenit? Credo *systis*, inde *gistis* exaratum fuisse (S Ϛ).

[2] p. 39, ed. Lachmann:

Namque etiam duplex quae nobis una relicta est,
Principium uerbi quoniam proferre Latini
Non ualet et tantum uocali subdita currit,
Cum Graecum inciderit nomen quo possumus uti,
Si post dactylon accedat, nil tempore duplo
Officiet, gemini poterunt quod pandere uersus.
Pontibus instratis coniunxit littora Xerxes.
Sanguine turbatus miscebat littora Xanthus.
Littora pes longa constat breuibusque duabus:
Tempora nec laedit duplex, quin dactylus extet.

partium caussas' interpretatus. Per paruas pausas *Bonincontrius.* Proque artis causis *Bentleius.* Perque artis causas *Iacobus.* Perque paris causas *uel* casus *ego.* 434 si] sic *Vossiani* sit *Lips.*

Disseruit nuper de his uu. Breiterus in Fleckeiseni Nou. Annal. Philol. anni 1889 p. 850. Ibi locum sic refingere uoluit

Sed quis tot numeros totiens sub lege referre,
Tot partis iterare queat, tot discere summas
433 Per partis causas? faciem mutare loquendi
Incipimus, si uerba piget? sed gratia deerit,
In uanumque labor cedit, quem despicit auris.

Per partis ex II. 769 *Per partes ducenda fides* explicat: *tot* 432 cum *Per partis* struit; 433, 4 hoc putat significare; si piget mutare uerba per quae ars enuntiatur astrologorum, nonne soluto saltem sermone, h. e. prosa oratione, scribere permissum est? Perplexius Manilium scripsisse, si hoc significarit, queror. Nam ut a 432 incipiam, quis non *summas* substantiui loco positum credat, cum iam in eo sit poeta ut singulis in signis partes recenseat noxias a prima ad trigesimam? Quae cum in singulis sint diuersae, mirum quantum se poeta torserit eas uarie expositurus. Hoc praeuidens rogat *quis tot numeros referre, tot partes iterare, tot summas dicere queat?* Nec multum placet *Per partis* post *Tot partis* iteratum, nec *Incipimus* pro eo quod est in codicibus *Incidimus.*

Itaque Iacobi sententiam praefero, uerba *Per patris* (*partis, paruas*) *causas* arte cum sequentibus coniungentis, his dico *faciem mutare loquendi.* In quibus latere suspicor ἀντίθετον, quale efficeret *Perque* paris *causas faciem* mutare *loquendi* h. e. in recensendo quae semper similia sunt uarietatem ex nouis uerbis, neque eodem semper sermone inferre. *Causas* dicit quae ex astris pendent, unde proueniunt effectus quales sunt sine fruge creari, aut cadere, aut multis sentire bona mixta querellis (429).

u. 434 retinendum censeo *Incidimus si uerba, piget:* tum subnectit 'Sed gratia deerit' quasi secum querens non posse legentibus conciliare quae de partibus et numeris scribat, cum ab auribus respuantur. Locum sic Anglice uertas: 'who can

repeat such a number of parts, put in words so many sums of arithmetic, vary the style of his language from one like cause to another? Suppose us to have lighted on words to our purpose, we are ashamed of their weakness: "after all," we say, "there will be nothing to please: our toiling is all in vain, it is rejected by the ear."'

IV. 443, 444 sic extant in Gembl.

Lanigeri pars quarta nocet nec sexta salubris
Septima pars illi ac decuma decumaeque sc̄da.

444 par *Withofius et Bentleius* est *post* decuma *om. codd.* secunda *plerique* (sc̄da) Septima par illi ac decima est decimaeque secunda *Bentleius* S. par illi ac decima a decimaque secunda *Heringa Obseruat. p.* 73 *et sic malebat Stoeberus.*

Aegre inter Bentleium et Heringam diiudicatur. Rarius *est* intercidit, contra facillime post *decuma* eadem uocalis *a* peritura erat. Sed fortasse scripserat poeta *ac decumast.*

IV. 451–453 sic extant in Gembl.

Bisque undena nocens et bis duodena nocentes
Quaeque decem trisque ingeminat fraudata duobus
Triginta numeros ec tū tricesima summa est.

452 Quemque *Cus. Voss.*[2] frauda *Voss.*[2] fraudata *Cus. Voss.*[1] *o* fraudatque *Scaliger.* 453 et tu *Voss.*[1] *o* et *om.* tu *Voss.*[2] summa est *codd.* summa es *Iacobus, et sic ed. Rom.* 1510.

Tollenda est distinctio post *nocentes,* quo uerbo copulantur *bis duodena* (24) *quaeque* pars *decem trisque ingeminat* (26), et quae *fraudat duobus Triginta numeros* (28). His Iacobus addit tricesimam (30) scribendo *et tu tricesima summa es,* melius fortasse Bentleio, qui *est* prorsus omisit. Sed quanquam *et tu* praestant Voss.[1] et *o*, potiorem habeo lectionem Gemblacensis *ec tū,* unde uersum sic corrigo *nec dum tricesima summa est,* h. e. et quae pars duobus tantum numeris abest a tricesima neque in hanc tamen consummatur.

IV. 454, 455

Pestifera in geminis pars prima et tertia signis
Septima non melior.

Miror neminem correxisse *signi.* Gemini enim unum signum, non duplex, efficiunt.

IV. 459–461 sic traditi sunt in Gembl.

> Nec canceri prima immunis nec tertia pars est
> Nec sexta octauae similis decumaeque peracta
> Prima rapit nec ter quinae clementior usus.

460 secumseque *Voss.*^{2} 461 quintae *Vossiani.*
Bentleius uu. 460, 461 sic refinxit

> Nec sexta; octaua est similis, decumaque peracta
> Prima rabit.

Incerta haec, ne dicam abhorrentia uero. Displicet incisus hexameter post primum spondeum; deinde non est temere reiciendus *decumaeque* genitiuus (sic cum Gemblacensi ceteri, neque aliud est illud *secumseque* quod in Voss.^{2} inueni), potiusque legendum erat *peractae* quam *decumae* in *decuma* mutandum: exquisitius dicitur *prima peractae decumae* siue prima post peractam decumam. Postremo *rapit* multo conuenientius ad sequentia *nec ter quinae clementior usus;* non est enim inclementiae *rabere*, sed *rapere.* Scio de Canicula loquentem Manilium V. 208 dixisse *latratque canicula flammas Et rabit igne suo*, mox de ortis sub Canicula similiter *lingua rabit, latratque loquendo.* At non idcirco undecima pars Cancri rabere uincitur; immo rapit morbo uel morte occupatos, quo sensu dixit I. 882 *Labentesque rapit populos, totasque per urbes Publica succensis peraguntur fata sepulchris.*

IV. 473, 474 sic traditi sunt in Gembl.

> Septima et undecima decumaeque et tertia iuncta
> Et quinta in chelis et septima inutilis aestu.

473 Et *ante* Septima *add. Voss.*^{2} undecima est *Cus. Voss.*^{2}
u
decimque *Cus.* decimae *Voss.*^{2} terna *Cus.*

Hos uu. Regiomontanus recte transposuit, unde uulgo sic editi sunt

> Et (At *Bentl.*) quinta in Chelis et septima inutilis aestu
> Septimaque undecimae decimaeque et tertia iuncta.

Negauit Bentleius XVIII ante XIII poni potuisse; scribendumque

Tertia et undecimae, decimaeque et septima iuncta.

Alias certe, partes dinumerans quae in singulis signis sunt, iustum ordinem numerorum Manilius seruauit.

Ast hic causa suberat quominus id faceret; modo dixerat *septima inutilis aestu:* eundem numerum rhetorice repetiuit, rei per se iniucundae arcessitam quamdam et poeticam dignitatem conciliaturus.

IV. 477, 478 sic sunt in Gembl.

Scorpius in prima reus est cui tertia pars est
Et sexta et decuma et †quae ter quinta† notatur.

477 par *Scaliger.* 478 et quater quinta n. *Voss.*[2] *et plerique* et quater quinque n. *Voss.*[1] Et sexta, et decima est, et quae ter quina notatur *Bentleius* Et sexta et decima atque quater quae quina n. *Iacobus* Et sexta et decima et quae pars ter quina n. *Breiterus. An* Et s. et d. et quater hinc quae quinta n.?

Plerique corruptis uerbis quae obelo signaui numerum 15 subesse crediderunt. At cum sequens (479) numerus 22 sit (*undecimam geminans*) potest hic latere numerus qui infra hunc sit, ueluti 20 (*quater quinque*); nec male sic explicatur diuersitas codicum. Sed *atque* Iacobus non bene inuehebat, quo languescit rhythmus: praetulerim *et quater hinc quae quinta*, ut *hinc* sit post decimam.

IV. 486, 487 sic sunt in Gembl.

Nec pars optanda est Capricorni septima nonae
Consentit decumamque sequens quam tertia signat

nona *Bentleius* nonae *codd. omnes.*

Frustra Bentleius ingratam παρήχησιν uersui intulit contra codices. Nam cum partes 7, 9, 13 pariter omnes noceant, quid refert septimae nona, an nonae septima consentire dicatur? Vnum respiciendum erat ne uersus asper euaderet.

IV. 518, 519 sic extant in Gembl.

At quos prima creant nascentis sydera tauri
Feminea iace/// nec longe causa petenda est.

519 Fe(ę *Voss.*[1])minea *Vossiani* Feminei *o b* iaceat *Voss.*[1]
a
Cus. iuceat *Voss.*[2] iaceant *o b* iacet *Lips. teste Iacobo* Feminei incedunt *Bentl.* Feminea incendunt *Iacobus.*

Suspicor scribendum esse *Feminea inlectant* uel *inlaqueant.*

IV. 530–534 sic extant in Gembl.

At niger obscura cancer cum nube feretur
Quae uelut exutus phebeis ignibus ignis
Defuit et multa fuscat caligine sydus
Lumina deficient artus geminamque creatis
Mortem fata dabunt se quisque et uiuit et effert.

531 *Fort.* Qualiter exutus *Voss.*[1] *Cus.* exsutus *Voss.*[2] extinctus *o* exustus *Iacobus.* 532 Deficit *Voss.*[2] *o.* 533 ortos *Scal.*

Nihil hic mutandum, nisi quod *exustus* pro *exutus* cum Iacobo, *Defluit* pro *Defuit* mecum corriges. Nam *Deficit* propter sequens *deficiunt* repudiandum uidetur. Sensus est: cum Cancer obscurabitur nube, quae nubes, sicut accidit quotiens ignis in foco sole tactus est, ut flammae primum exstinguantur, deinde ex candentibus ac feruidis omnia sensim nigra fiant, a summa parte sideris defluit in ima totumque signum Cancri caligine obducit, eo tempore natis oculi corpus deficient, uita protendetur tam sine gaudio propter caecitatem ut quasi bis mori uideantur.

IV. 539–541 sic extant in Gembl.

Tanta fames animumque sibi tam dira cupido
Corripit ut capiat semet nec compleat umquam
Inque epulas funus retitet praeciumque sepulcri.

539 sibi *codd.* ibi *ed. Molinii* cibi *Scaliger.* 541 retitet al. reuocet *Lips.* reuocet *Voss.*[1] *o b.* *Bentleius* 539, 540 *spurios ratus* rediget *ex coni. posuit.* *Num* funusque litet?

Describit gulae deditos, qualis fuit Erysichthon ille apud Callim. H. Cer. et Ouid. Metamm. viii. 814 sqq. Ouidium etiam hic secutus uidetur Manilius. Certe ex Met. viii. 840–842 *Sic epulas omnes Erysichthonis ora profani Accipiunt poscuntque simul. Cibus omnis in illo Causa cibi est, semperque locus fit inanis edendo* et 875 sqq. *Vis tamen illa mali postquam consumpserat omnem Materiam dederatque graui noua pabula morbo, Ipse suos*

artus lacero diuellere morsu Coepit et infelix minuendo corpus alebat pendent illa

ut capiat semet nec compleat umquam

in quibus *capiat semet* pro absorbeat siue deuoret corpus suum positum reor: capere autem, idem fere esse quod *accipere* in Met. viii. 841: nam quae una alia significatio poterat inesse, tam dira fame corripitur ut possit se ipsum capere (*χωρεῖν*, *capit quadrantal* Curc. i. 2. 14) neque tamen uentris famem explere, minus ea mihi probabilis habetur.

Versus 541 emendationem quam proposui nescio an aliis adprobaturus sim; sed si recte traditum est in Gembl. et Lips. *retitet,* non longe ab his litteris distare credo *que litet,* h. e. in sacrificio ponat. Sen. Med. 1019 *plura non habui, dolor, Quae tibi litarem.*

IV. 561, 562

Nec non Arcitenens prima cum ueste resurgit
Pectora clara dabit bello.

Nonne potius scribendum *primo cum uespere surgit?* Sic IV. 517 *tergore uexit* scribae in *tergo* (*terga*) *reuexit* deprauarunt.

IV. 573

Neue sit et **** primis producere pisces.
Garrulitas odiosa datur linguaeque mouentum
Verba maligna nouas mutantis semper ad auris
Crimina per populum populi ferre ore bilingui.

573 Et primis **** *Voss.*[1] et primus animus *Voss.*[2] procedere *Voss.*[1] *Lips. Cus.* 574 mouentum *Cus. Lips. Voss.*[2] momentum *Voss.*[1] uenenum *o et ed. Rom.* 1510 uomentum *Iacobus.* 575 'nouas *in ras. pr. m.*' *Thomasius* mussantis *Regiom. Bentl. Fortasse* mutanti ad *codd.* et *ego.*

mouentum non erat cur Iacobus in *uomentum* corrigeret, nam ut Val. Fl. ii. 122 Fama, *motis quatit oppida linguis* 'Rumour shakes cities by setting tongues awag,' sic linguosi hic dicuntur mouere uerba maligna; neque alius est usus uocabuli in illis *cantus, carmina mouere* Aen. x. 163, Ouid. Met. xiv. 20, Val. Fl. v. 100. Nec Bentleium sequor *mussantis* scribentem, cum *mutantis* praestent codices; sed *nouas mutantis ad auris* etiamsi

concedas dici potuisse de eo qui crimina ab alio fert ad alium, minus tamen et latinum et Manilianum est quam *nouas aures mutantis*, h. e. nouum semper auditorem quaerentis. Praeterea *ad* retento, obscurius construuntur uerba: quo enim referendum erit *mutantis?* Si ad *linguae*, intolerabilis erit ordo, (*asperitas*) *mouentum uerba maligna linguae*, solutior structura infinitiui *ferre:* sin ad *populi*, intolerabile fiet asyndeton, sententia ineptior: non enim populus, sed qui nascitur sub Piscibus, crimina fert per populum, eaque ad nouas semper auris mutat. Itaque *ad* in *et* mutandum censeo: uerba sic struo: Asperitas od. datur (dantur)que linguae (nominatiuus) mouentum uerba maligna, et (datur) mutantis (accus.) semper nouas auris, crimina populi ferre ore bilingui per populum. Malim tamen *mutanti* scribere, cui facile adhaesurum erat *s* sequentis uocabuli *semper;* estque hoc accommodatius ad praecedens *datur.*

u. 573 ex Gembl. sic refinxerim

> Neue sit aetatem primis producere, Pisces,

h. e. neue sit uobis, o Pisces, primis producere (in ortum) aetatem siue uitam nascentium.

Itaque talis euadit forma sententiae

> Neue sit ae*tatem* primis producere, Pisces.
> Garrulitas odiosa datur, linguaeque mouentum
> Verba maligna, nouas mutanti(s) semper *et* auris
> Crimina per populum populi ferre ore bilingui.

IV. 579–581

> Scilicet in piscem sese Citherea notauit
> Cum babilonias casus profugit in undas
> uel i uel i
> Anguipedem alatos humeros typhona ferentem.

579 nouauit *est in ed. Molinii.* 580 *sic Cus. et Voss.*[1] *nisi quod Cus. habet* profingit babilonia cassū mersa *Voss.*[2] 581 unguem *pro* humeros *Voss.*[1] *Cus.* unguis *o* anguis *b.*

u. 580 plerique ex Voss.[2] sic edunt

> Cum Babyloniacas summersa profugit in undas

et sic Bentleius, sed deleto u. 581 tanquam spurio, inuectoque

ex IV. 801 *Cum fugeret Typhona Venus.* Nam *profugit Typhona in undas* barbare dici, *alatis humeris* non uere.

Gembl. si sequimur, retinendus erit 581. Nam non solum ibi comparet, sed etiam sic scriptus, ut duplici modo traditus fuisse uideatur

Anguipedem alatos humeros } typhona ferentem,
alatis humeris }

profugit Typhona tutatur similis locus Columellae x. 56 *Sed trepidus profugit Chelas et spicula Phoebus Dira Nepae.*

Sed miror u. 580 tam longe distare quomodo in Gembl. extat ab ea forma uersus quam praestat Voss.[2] *Mersa* enim prorsus excidit. An aliud quid latet in illis

Cum babilonias casus profugit in undas?

Fuitne in archetypo

Cum Babyloniacas passura profugit in undas,

mox confusis inter se *cas pas* hoc omissum, illud in *casus* conuersum est? *passura* sc. Typhona: qui infenso animo Venerem aggrediebatur.

In 581 Gembl. secutus *humeros*, non *ungues*, nec *angues* scripserim. Nam Typhon ἀερσιπότης dicitur a Nonno Dionysiac. ii. 22, meliusque umeris alae conueniunt quam unguibus. Sane non infitior Apollodorum ubi eum describit i. 6. 3 τὰ δὲ ἀπὸ μηρῶν σπείρας εἶχεν ὑπερμεγέθεις ἐχιδνῶν, ὧν ὁλκοὶ πρὸς αὐτὴν ἐκτεινόμενοι κορυφὴν συριγμὸν πολὺν ἐξίεσαν· πᾶν δὲ αὐτοῦ τὸ σῶμα κατεπτέρωτο, et Antoninum Liberalem 28 ἐπεφύκεσαν γὰρ κεφαλαὶ πλεῖσται καὶ χεῖρες καὶ πτέρυγες, Typhoni alas in toto corpore et in omnibus membris adtribuisse; sed *alatos ungues* (nam *angues* quidem ridiculum est) utcumque interpretaberis, siue de manibus ungulatis quibus adhaererent plumae, siue ut latiore sensu ungulatus Typhon idemque pinnatus fingeretur, barbarum quiddam sonat: nec *ungues* traditum est in Voss.[1] sed *unguem.*

Huiusmodi monstrum grandibus pinnis ex summis umeris exsurgentibus, imo corpore in anguinam speciem terminato, Gerhardus ex antiquo uase delineauit (Auserles. Vas. iii. tab. 237). Typhonis hanc imaginem plerique crediderunt, licet id in dubitationem nuper uocarit Kuhnertus in Roscheri Mythologia

p. 1671. Sed alas umeris Gigantum proprie adsignari, plurima antiquorum declarant monumenta, uti me docuit huius rei peritissimus Ludouicus Farnell: quo auctore etiam confidentius *ungues* a uersu Manilii abiudico.

IV. 588, 589 sic traditi sunt in Gembl. Voss.[1] Cus.

> Nascentemque ipsumque diem mediosque calores
> Teque Helice.

Nascentem ipsumque *Voss.*[2] *et Lips. testante Iacobo* lapsumque *Bonincontrius*[1], *et multis annis post Bonincontrium* '*Andreas Meluinus, Scotus, iuuenis eruditus,*' *apud Scaligerum* (1579).

Certissima est emendatio Meluini: sed occuparat eam Bonincontrius ante annum 1484. Credo scriptum fuisse *l^a psumque*, hinc *ipsumque.*

IV. 591, 592

> Asper ab axe ruit boreas fugit eurus ab ortu
> Auster amat medium solem zephyrusque profectum.

Immo *peractum*, nisi cui magis placeat *profundum* Bonincontrii.

IV. 605 sic traditus est in Gembl.

> Vsque canes ad scylla tuos auidamque caribdin.

ascilla l *Cus.* ad stilla *Voss.*[2] oscilla *Voss.*[1]

Non ab re erit hic notasse lectionem quam in Cusano inueni. Illud *a scilla* non interiectio est sed mera deprauatio eius quod habet Gembl. *ad scilla*: idem error est V. 136 *astrepitus*, fortasse etiam IV. 798, etsi de hoc quidem loco ipse aliter iudico. Ex *a scilla* ortum credo *oscilla* quod in Voss.[1] sed cum u. l. *o scylla* coniunctum legitur.

IV. 606, 607 sic extant in Gembl.

> Ac ubi se primum porta mare fudit
> Et natat Ionio laxasque uagatur in undas.

606 Hac *Voss.*[2] *post* fudit *excidit uocabulum etiam in Vossianis Cus. Lips. o b Bentleius addidit* aperto *Malim* aperta. *Aen.* viii. 585 portis equitatus apertis. 607 Enatat *Voss.*[2] *o* Emicat *Bentl.*

[1] Impressa est editio Bonincontrii anno 1484 'sedente Innocentio octauo Pontifice maximo. Anno eius Primo.'

Pro *Ac* nescio an scribendum sit *Atque.* Sed *porta* eget epitheto suo; id Iacobus suppleuit, *iniqua* scribens; uix satis apte. Fuitne *aperta?*

IV. 608 sqq. sic extant in Gembl.

Et prius in leuas effundens circuit omnem
Italiam atque adriam comitatus nomine pontum
Eridanique bibit fluctus secat aequore bellum
Illiricum Epirumque lauat claramque Corinthum
Et Peloponensi patulas circumuolat oras
Rursus et in leuum refluit uastoque recessu
Thessaliae fines et achaica praeterit arua.

609 atque *om. Lips. m. pr. et Voss.*[2] adriam comitatus *Lips. Cus. Voss.*[1] adream conmutatus *Voss.*[2] 610 uellum *o.* 611 labat *Vossiani* lauat *o.* 614 achalia *Cus. Voss.*[1] athicha *Voss.*[2]

Hunc locum exscripsi sicut in Gembl. traditus est, non ut in dubitationem uocarem quae optime iam emendata sunt a Scaligero et Bentleio, uelut 609 *Italiam Adriaco mutatum nomina ponto*, 608 *in laeuam* (*laeua* Iacobus) *se effundens*, sed quia scrupulum mouet id quod a Bentleio excogitatum Iacobus quoque tanquam uerum recepit: dico *laeuum* pro *bellum* in 610. Sic si scripsit Manilius, unum ter iterauit, *laeua* 608, *laeuum* 610, *laeuum* 613: neque hoc solum, sed et nulla causa, nihil enim ad rem illustrandam proficit *laeuum* istud in 610; nam dextrum potius Illyricum dicendum erat, sicut 604 Italia urbes dextram sinuare in undam fingitur: eodemque sensu dixit 613 *Rursus et in laeuum refluit* de mari in Aegeum sinum se deflectente Peloponnesumque et Thessaliam praeterfluente. Quid multa? credo *bellum* aut in *littus* aut *uallum* refingendum esse. Hoc posterius fautorem sibi habet codicem *o* in quo est *uellum*, quod cum *uelum* hic non possit esse, *uallum* potius occultare reor. Vallum dixit Illyricum habita ratione excelsarum rupium quibus illa ora praecingitur, quemadmodum Cicero Pis. xxxiii. 81 de Alpibus scripsit *cuius ego imperium, non Alpium uallum contra adscensum transgressionemque Gallorum . . . obicio et oppono*: *perfecit ille ut si montes resedissent, amnes exaruissent, non naturae praesidio, sed uictoria sua rebusque gestis Italiam munitam habere-*

mus. Vix poterat ad naturam loci dicere aptius: Acroceraunia quis nescit, 'the vast Acroceraunian walls?' sic enim Tennyso nostras in poematio quo Illyricum depinxit.

In 612 *circumuolat* Scaliger inepte dici intellexit, sed nec sibi nec aliis satisfecit *circumluit* coniectando. Fuit potius *circumforat*; nusquam enim magis tellus foratur a mari quam ubi Peloponnesum circumfluit, praecipue uero ab Australi parte ubi sinus facit Messeniacum Laconicumque. Participium *circumforatus* extat apud Plinium H. N. xvii. 252 *Earum quoque terebrantur ossa. Amygdalae ex amaris dulces fiunt si circumfosso stipite et ab ima parte circumforato defluens pituita abstergeatur.*

IV. 615–617 sic sunt in Gembl.

> Hic pontus iuuenisque fretum mersaeque puellae
> Tenditur inuitum faucesque propontidos apto
> Euxino iungit pelago Maeotis et undis

615 pontus *codd.* penitus *Iacobus.* 616 apto *Cus. Voss.*[2] *b o* arto *Voss.*[1] apta *Regiom. Neap.* arctae *Bonincontrius in commentario* artae *Scaliger* artas *Bentleius.* 617 iungi *Cus.*

Egregia est emendatio Iacobi *penitus*, quod cum accusatiuo hic iungitur, cum ablatiuo, ut uidetur, 644 *Oceano penitus.* Mare tenditur inuitum penitus Hellespontum h. e. intra penitiora Hellesponti.

apto uel *arto*, quod habent codices, *artae* potius quam *artas* fuisse crediderim: et sic uidetur correxisse Bonincontrius.

IV. 633 sqq. sic extant in Gembl.

> Aduersa Euboicos miratur Grecia montes
> Et genitrix Creta ciuem sortita Tonantem
> Aegyptia cypros pulsatur fluctibus omnis
> Totque minora sola tamen emergentia ponto
> Littora et aequalis ciclades delonque rodonque
> Aulidaque et tenodum uicinaque corsica terris
> Littora sardiniae primum intrantis in orbe
> Occeani uictricem ebusum et balearica rura.

634 Creta *Vossiani Cus.* cretem *o.* 635 *sic Voss.*[2] *et Lips.* Pulsatur Cipros Egiptia fluctibus omnis *Voss.*[1] *Cus. o.* Aegypti

Cypros *Scaliger*. Aegyptique Cypros *ego*. amnis *Bentl.* 636 Sola *Cus.* solo *Vossiani et o Ante hunc u. excidisse uersum ratus est Scaliger.* Totque m. sola et tamen e. p. *Bentleius* Totque m. solo taceo e. p. *Doruillius ad Chariton. p.* 371, *quod recepit Iacobus.* 637 *sic codd.* Praetereo, Aegeas *Bentleius* Littora, inaequalis *Doruillius. uu.* 634–637 *sic refinxit Rossbergius.* Est genetrix Crete ciuem sortita Tonantem, Aegypti at Cypros pulsatur fluctibus amnis. Totque minora, salo tamen emergentia pontus Litora habet, qualis Cyclades Delonque Rhodonque. 639 primumque *Vossiani* primaque *o b* orbe *Vossiani* orbem *o b.* 640 mebusum *Voss.*[1] *Cus.* melius usum *Voss.*[2] alaraica *Voss*[1] alearica *o* regna *Voss.*[1] *b o.*

Venio ad locum difficillimum, quem idcirco totum exscripsi ex Gembl. Iam quod primum in mendo cubat 635 *Aegyptia* non potest esse *Aegypti*, potest esse, ut Rossbergius uoluit, *Aegypti at*, sed nescio an non potius sit *Aegyptique*, uelut in 452 *fraudata* ex *fraudatque* uitiatum est in Gembl. Reliquum u. sic interpretor: Cypros omnis pulsatur fluctibus Aegypti siue maris quod Aegyptum alluit. Hi sunt *fluctus Aegypti*: in quibus *Aegypti* non ad Nilum refertur, sed ex regione pelagus designauit, ut *fluctibus Aegypti* idem significaret quod fluctibus Aegyptiis siue maris Aegyptii. Strab. 681 ἡ Κύπρος τὰ ἑσπέρια τῷ Παμφυλίῳ κλυζόμενα (ἔχουσα) πελάγει, τὰ δὲ νότια τῷ Αἰγυπτίῳ. Quod *omnis* addidit, uoluit totam Cypri oram qua ad Austrum uergit ex aduerso sitam esse litori Aegyptiaco. Neque ulla sane pars est eius orae quae non praetentam sibi habeat aliquam partem Aegypti.

Qui secuntur uu. 636–639 structura carent, deest enim quo referantur accusatiui. Opem tulit Bentl. scribendo 637 *Praetereo* pro *Litora et*, quem merito reprehendit Doruillius, tanquam audacius grassatum, ipse autem *tamen* in *taceo* mutauit, *Littora* retinuit. Melius nuper Rossbergius *sola* in *salo*, *ponto* in *pontus* (*pontꝰ*) refinxit; quae diuinatio speciosa quidem certe, nonnullis fortasse etiam uera uidebitur. Nam ne *habet* quidem (h̄t) longe discedit ab *et*; *quales* autem, (in quo me aliquantum haesisse non infitior), Rossbergius ex loco tutatus est

Vergiliano Aen. xi. 67 *Hic iuuenem agresti sublimem gramine ponunt Qualem uirginco demessum pollice florem.* Sed tamen *littora* Manilium ter scripsisse 637, 639, 643 uix credo; quod cum in 639, 643 recte uideatur traditum, falso idem in 637 inlatum est. Fuerat fortasse indicatiuus uelut *Miror:* quo recepto, *sola tamen* in *sola et tantum* muto, cum utrumque eodem compendio *tñ* significari potuerit. Ecquis non intelligit optime sic inter se cohaerere *sola* et *tantum emergentia ponto,* illud cum *superficiem* tantum terrae, hoc uix supra mare eminentem significarit?

Aequalis cyclades cum Stoebero interpretor aequaliter in figuram ordinatas. Sic enim de eis Scylax refert in Periplo 49 Κυκλάδες δὲ αἵδε εἰσὶ κατὰ τὴν Λακεδαιμονίαν χώραν οἰκούμεναι Μῆλος καὶ λιμήν, κατὰ δὲ ταύτην Κίμωλος, κατὰ δὲ ταύτην Ὠλίαρος, κατὰ δὲ ταύτην Σίκινος, αὕτη ἡ (καὶ add. Voss.) πόλις, κατὰ δὲ ταύτην Θήρα, κατὰ δὲ ταύτην Ἀνάφη, κατὰ δὲ ταύτην Ἀστυπάλη. Mart. Cap. vi. 660 *Cyclades quae nomina a circulata ordinatione sortitae.*

uu. 639, 640 sic scribendos censeo uti eos scripsit Pingraeus

primumque intrantis in orbem
Oceani uictricem Ebusum et Balearica rura,

h. e. Ebusum u. Oceani primum intrantis in orbem, siue ubi primum intrat penitiora maris Mediterranei. Nam ab insula inde Ebuso litora Hispaniae et Galliae recedunt et in orbem quemdam curuantur; habetque haec pars maris speciem quamdam circuli. Quae insula Ebusus cum prima emineat ex superficie undarum, a Manilio dicitur *uictrix Oceani:* nam ante eam cetera Oceanus uindicauit, obruitque. Sic uerba *uictricem Oceani* recte interpretatus est Stoeberus.

Aduersa Euboicos miratur Graecia montes,
Et genitrix Crete ciuem sortita Tonantem,
Aegypti*que* Cypros pulsatur fluctibus omnis.
Totque minora sola *et* ta*ntum* emergentia ponto
*Miro*r, et aequalis Cyclades, Delonque Rhodonque,
Aulidaque et Tenedum, uicinaque Corsica terris
Litora Sardiniae, primumque intrantis in orbe*m*
Oceani uictricem Ebusum et Balearica rura.

IV. 642 sqq. sic extant in Gembl.

Nec tantum ex una pontus sibi parte reclusus
Faucibus abreptis orbem, nam littora plura
Impulit oceano †potius sed montibus altis
Est uetitus totam ne mergeret aequore terram.

642 reclusus *codd. omnes* reclusit *Bentl.* 643 abruptis *Bonincontrius.* 644 potius *codd. cum Regiom. et Bonincontrio.* potius *cum sequentibus coniungebat Bentl.: 'ne mireris quod pontus ruptis obiicibus penetrasset in terras tribus quattuorue locis: hoc potius mirandum, quod non totam terram merserit; mersurus utique, nisi montes alti obstitissent.'* Phorcus *Iacobus.*

Potius Iacobus in *Phorcus* correxit, quod nec palaeographiae conuenit, cum V. 586 *fortis* uel *fortus* scriptum sit hoc nomen, et nimis ταυτόλογον est. Scribo *penitus*, quod iam ante uitiatum uidimus 615 *Hic penitus iuuenisque fretum mersaeque puellae Truditur*, ubi codices *pontus:* sed ibi est *intra* et accusatiuum sibi assumpsit: in 642 *Oceano penitus* est in intima parte Oceani. Contrario uitio in Ouidii Trist. ii. 317 *potius* factum est *penitus* in Gothano codice (*D* Oweni, cuius accuratissimam editionem omnibus qui me legent commendatam uelim). Sic accusatiuum fecit ex *superne* pendentem Germanicus Arat. 426: nam *lucet* actiue posuisse Germanicum non reor.

IV. 674 sqq. sic extant in Gembl.

India notitia maior parthique uel orbis
Alter et in caelum surgentis maenia tauri
Totque illum circa diuiso nomine gentes
Ac tantum sciticas dirimentem fluctibus urbes.

677 At *corrector Lipsiensis codicis* Ad Tanaim *Scaliger* urbes *etiam o b* orbes *Vossiani Cus. et Lips., testante Iacobo.*

Certa emendatione Scaliger et Bentleius 677 scripserunt *Ad Tanain:* uix recte Bentleius pro eo quod habet Gembl. *sciticas—urbes* coni. *Scythicis—orbes*, Asiae scilicet et Europae. Nam (1) *Scithicas* non *Scithicos* praestant omnes codices, (2) *orbes* quidem in utroque Vossiano extat, sed hoc uocabulum perpetuo errore scriptum est in Manilii carmine pro *urbes*, ut ex his locis apparebit, IV. 903 ubi *orbes* sensu caret, in omnibus

tamen codd. extat, V. 64 *Instar erit populi totaque habitabit in urbe* codd. *orbe*, V. 476 *doctior urbe sua* codd. *orbe*, V. 650 *mediam metuendus in urbem*, Lips. et Voss.[2] *orbem*, V. 734 *urbes* Manilius *orbes* codd., V. 739 *urbem* Manilius *orbem* codd. (3) Dixit sane Vergilius Aen. vii. 223 *quibus actus uterque Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis*, addito uidelicet Europae atque Asiae; sed non idcirco Manilius *orbes* sic nude positurus erat, nisi forte interpretes sibi satis habuit post adnectere uersus 680, 681 *Hanc Asiae metam posuit natura potentis, Quod superest Europa tenet.* Melius credo poetae consulunt qui *orbes* interpretantur circulos quosdam siue limites quibus diuersae Scytharum gentes circumcludantur. (4) Negauit Bentleius esse urbes Scythis. Sed ut nihil dicam de Apollonia Mesembria Odesso Callatide quae Thracicae potius uocantur, audi quid Scylax de Scythis referat in Periplo 69 Μετὰ δὲ Θράκην εἰσὶν Σκύθαι ἔθνος καὶ πόλεις ἐν αὐταῖς Ἑλληνίδες αἵδε· Τρίσσης ποταμός, Νεώνειον πόλις, Ὀφιοῦσα πόλις· ἐπὶ δὲ τῇ Σκυθικῇ ἐποικοῦσι Ταῦροι ἔθνος, ἀκρωτήριον τῆς ἠπείρου· εἰς θάλατταν δὲ τὸ ἀκρωτήριόν ἐστι. ἐν δὲ τῇ Ταυρικῇ οἰκοῦσιν Ἕλληνες (καὶ πόλεις suppl. Vossius) αἵδε· Χερρόνησος ἐμπόριον, Κριοῦ Μέτωπον, ἀκρωτήριον τῆς Ταυρικῆς· μετὰ δὲ ταῦτά εἰσι Σκύθαι πάλιν. πόλεις δὲ Ἑλληνίδες αἵδε ἐν αὐτῇ· Θεοδοσία, Κυταία, καὶ Νύμφαια. Παντικάπαιον, Μυρμήκειον.

IV. 680

Aequora et extremum Propontidos Hellespontum.

Iacobus *extremum usque* coniecit: possis etiam *extremum inde*, uel *inde extrema*. [*ad extremumque Propontidos H.* Rossbergius.]

IV. 682–684 sic traditi sunt in Gembl.

Quod superest europa tenet quae prima natantem
Fluctibus excepit Iouem taurumque resoluit
Pondere passa suo signi onerique iuuauit.

683 excepitque *codd. plerique* resoluit *codd. omnes* resolui *ego*. 684 signique onerique *Cus. o* sigmo uerique *Voss.*[2] signoque onerique *Voss.*[1] *b* iuuauit *codd. omnes* leuauit *Stoeberus* Taurumque resoluens Quaerere passa sibi est ignisque onerisque iuuamen *Huetius* Condere passa suos ignis Venerique iugari

Iacobus Ponere passa suos ignis onere atque leuari *Breiterus uersum* 684 *spurium habuit Bentleius.*

Corrigo *taurumque resolui Pondere passa suost* (sibi est *Huetius*) *ignique onerique leuauit.* Ablatiuus erit *oneri*, sicut *sorti* I. 813, *parti* III. 395. Iuppiter, Europam dorso ferens, postquam Creten tetigit, onus suum sc. puellam deposuit, ignemque sc. amorem suum statim expleuit cum puella concumbens. Similis est locus V. 310 *Et pariter iuuenem somnoque ac morte leuauit.*

IV. 718 sqq. sic traditi sunt in Gembl.

Martia romanas urbes pater induit ora
Gradiuumque genus miscens bene temperat artus.
Perque coloratas subtilis gretia gentes
Gymnasium praefert uultu fortesque palestras.
Et syriam produnt torti per tempora crines
Aethiopes maculant urbem tenebrisque figurant
Perfusas hominum gentes minus india tostis
Progenerat mediumque facit moderata tenorem.
Iam propior tellusque natans aegiptia nilo
Linius irriguis infuscat corpora campis.
Paenus arenosis Afrorum puluere terris
Exsiccat populos et Mauritanea nomen
Oris habet titulumque suo fert ipsa colore.

718 Romanis *Vossiani o* orbis *Cus.* 719 genus *om. o b* Venus *Bentleius.* 722 Ciferam *Voss.*^{2} 723 tenerisque *Cus. Voss.*^{1} 724 indicit hostis *Voss.*^{2} tostas *o* testis *Voss.*^{1} 726 proprior *o.* Iam proprio tellus gaudens Aegyptia Nilo *Bentl.* 727 Linius *Cus.* Linnis (*ut mihi uisum est*) *Voss.*^{1} Limus *Lips. teste Iacobo* Lenius *b o* Limoso *Rossbergius.* 728 Phoebus *Bentl.* arenosus *o.* 729 mauretanea *Voss.*^{2} mauritania *Voss.*^{1} nouem *Cus.* 730 Cris *Voss.*^{2} feret *Voss.*^{1} calore *Iacobus.*

uu. 718, 719 nihil habent quod mutari debeat, modo *Romanis* ex Vossianis et *o*, *urbis* ex Voss.^{2} scripseris. *Romanis* Romulus *urbis pater Martia ora induit* faciem bellicam addidit Martis patris sui, et *Gradiuum genus miscens* intermiscendo Gradiui sanguinem *artus temperat bene* in bonam conformationem effingit. *Gradiuum genus* locutio est compar Horatianis *Metaurum flumen*

C. iv. 4. 38, *flumen Rhenum* A. P. 18, Propertianis *Baiae aquae* i. 11. 30, *Luceres Soloni* iv. 1. 31 (sic enim in Neapolitano traditum est).

723, 4 *Aethiopes maculant urbem* Romam colore suo inficiunt *tenebrisque figurant Perfusas hominum gentes* imaginem praebent populorum nigrorem omni corpore praeferentium: at *India progenerat minus tosti* (sic enim corrigo *tostis*) minus quod sit adusti coloris, cum Indi non prorsus fusci, sed pallorem quemdam cum nigrore suo coniunctum habeant.

Hactenus clara sunt omnia: sed in 726 quid est *propior?* Id negauit Bentleius stare posse, proque eo supposuit *Iam proprio tellus gaudens Aegyptia Nilo.* Sane *proprior* est in Vossianis et *o*, sed hoc uitium toties codices occupauit, ut in qua uiuimus palaeographiae luce ulterius in eo morari nolim: adeo nota res est omnibus qui codices MSS. hodie terunt, saepissime *propior propius propiora* in *proprior proprius propriora* abiisse. Stoebero credita est *propior* India dici quia propius accederet non situ sed colore hominum; sed necessario ad regionum situm refertur. Poeta populos postquam hoc recensuit ordine Romanos, Graeciam, Syriam, Aethiopas, Indiam, redit ad Aegyptum iam propiorem occidentalibus terris, praecipue Italiae, ubi ipse carmen scripsisse uidetur: iure igitur ab Aethiopibus et Indis, quo excucurrerat, ad Aegyptum et Nilum relatus haec *propiora* dicit. Et quis credat *tellusque natans*, qua locutione nihil magis proprie Manilius locutus est (cf. 752 *tellus Aegypti iussa natare*), ex Bentleiano *tellus gaudens* ortum esse?

Multo ueri similior est eiusdem emendatio *Phoebus* in 728. Neque tamen satis facit: optime enim et quod nouum populum inducit et quod in principio stat uersus *Paenus* (*Poenus*) traditum est. Credo corruptum esse *terris*, cum codex Coll. Corporis Christi *arenosus*, non *arenosis* habeat. Iam u. 419 *terris* uitiosum codicum Breiterus et Hauptius in *torres* correxerunt; idem error et hic inrepsit. Itaque scribendum est

> Poenus harenosos Afrorum puluere *torris*
> Exsiccat populos.

Hic quod *torris* scripsi, non *torres*, ueritus sum uideri Lach-

manno refragari, qui primus Lucretiano uersui iii. 917 *Quod sitis exurat miseros atque arida torret* (sic *A* m. pr., *torrat B*) restituendum putauit *torres*. 'Id uocabulum' (sic Lachmannus) est in glossario Cyrilli, ἀπόκαυμα, *ustilacio*, *torres*. Similia sunt *labes tabes pubes torques saepes moles nubes sedes ambages compages contages rupes*.' Hinc Georges in Lexico *torres* femininum fecit, et a masculino *torris* discreuit. Aliter De Vit in nouissima editione lexici Forcelliniani ubi duplicem sensum sub uno uocabulo *Torris* commemorans, feminini generis non fecit mentionem.

Ad hanc rem quae reperio haec sunt. (1) Priscianus v. 42 (i. 169 Keil) *torris* et masculinum et femininum fecit. *Sciendum tamen, quod uetustissimi in multis, ut diximus, supra dictarum terminationum inueniuntur confudisse genera, nulla significationis differentia coacti, sed sola auctoritate, ut . . . hic et haec faex, rudens* ὁ πρότονος, . . . *senex stirps torris* ὁ δαλός *tiaras Tibris amnis torquis trames uesper hi et hae uepres*.

(2) *Torris* cum facem significat, interdum terminationem uariauit et dictus est *torres*. Glossae nominum in Gloss. Latino-Graec. ed. Götz p. 595 *torres titio*. Corp. Glossariorum iv. p. 397 Götz *torres lignum perostum uel siccum*.

Nihil igitur interest in uersu Manilii IV. 728 *torris* an *torres* scribatur. Vtrumcunque malueris, idem significabit, δαλόν uel[1] πυρσόν. Alia significatione Lucretius *arida torres*, si modo sic scripsit, et Manilius *sterilis torres*, induxerunt. Hoc enim femininum tantum fuisse consentaneum est. At in Man. IV. 728 non est ustilatio uel uredo, sed torridus sol Poenorum.

Vnum superest quod inobseruatum tulisse alios miror, ego certe numquam id concoxi. Dico productam *i* in *Maurītanea*, cuius non satis idoneum extat exemplum. Profecto *Mauri* genitiuus erat et cum *Oris* cohaerebat. Sub *tanea* quid lateat nihil me certi diuinare confiteor. Fuitne *belua*, siue elephas, qui cum niger esset (*nigris barris* Hor. Epod. xii. 1) a Mauris et colorem et nomen traxisse fictus fuerit a Manilio?

[1] Sic Oppianus Hal. iv. 353 Ἔξοχα γὰρ πυρσοῖσιν ἐπ' ἠελίοιο γάννυται de sole dixit. Scholiasta ibi πυρσοῖσιν· ἀκτῖσι, ταῖς λαμπηδόσιν.

Ostendit quidem Saycius *barrum* a Babylonico uocabulo *beru* siue elephante ductum esse; id nigrum significet necne, nescio: sed et Horatius *nigris barris* potuit sic coniungere, ut per epitheton uim declararet nominis, quemadmodum Catullus *altas Alpes, regali gaza*, Columella *immortales amaranti* x. 175, et mirifice huc quadrant uerba Acronis, *nigris certe Indis siue Mauris qui nigri sunt et peniti.* Hoc si recte diuinaui, uult poeta 'elephas nomen a colore Mauri uultus habet, et appellatur barrus quod ut Mauri niger est.'

An latet Maura arbor siue citrus de qua pretiosissimae mensae fiebant? Luc. ix. 426 *Maurusia robora*, Plin. H. N. xiii. 91 *Mauri quibus pluruma arbor citri et mensarum insania*, 95 *Ancorarius mons uocatur citerioris Mauretaniae qui laudatissimam dedit citrum, nunc exhaustus*, Mart. xiv. 89. 1 *Atlantica munera siluas*, xiv. 90. 1 *siluae filia Maurae*, xii. 66. 6 *Maurusiaci citri.* Cf. quae congessit Mayor ad Iuuen. i. 137. Certe si locum sic refingas

et Mauri citrea nomen
Oris habet titulumque suo fert ipsa colore

sententia euadet satis idonea haec: Mauretaniae populus concolor est citro suo, quae arbor Maura appellatur quia subnigro colore est tanquam mulsi (Plin. xiii. 97) 'a warm brown of different shades' Aiken on ornamental woods pp. 23 sqq.: cf. Mart. xiv. 127 *turbato Canusina simillima mulso* quod de paenulis fuscis dicitur. Et *citrea* extat apud eundem Plinium xvi. 107 *citreae et iuniperus et ilex.*

IV. 739, 740 sic extant in Gembl.

Diuersas pecudum facies propriasque ferarum
Et duplici causas elephantum carcere terrae,

clausas *Voss.*[1] causas *Voss.*[2] *Cus.* elephantum *Voss.*[1] elefantum *Cus.* elefantes *Voss.*[2] terras *Voss.*[1] *Cus.*

Suspicor scribendum *caulas* pro *causas*. Vult poeta elephantas nonnisi duabus orbis terrarum partibus caulas suas habere, quibus tanquam ex quodam carcere exire eos natura uetuerit. C. I. L. vi. 460 *signum Liberi, basim caulas* (lapis *causas*), quem locum

adtulit Nettleshipius in libro quem modo edidit 'Contributions to Latin Lexicography' p. 409.

IV. 755–757 sic extant in Gembl.

Euxinus Scithicos pontus sinuatus in arcus
Sub geminis te Phebe colit post brachia fratris
Vltimus et solidos Ganges et transcolit India cancer.

756 bost *Voss.*[2] 757 *sic codd. nisi quod Voss.*[2] *habet* transrolit, *Voss.*[1] V. et ganges et te colit india cancer.

Scribo

Sub Geminis te, Phoebe, colit; post, brachia fratris
Vltimus et Ganges et trans colit India Gangen,

h. e. post te fratris tui (Herculis) brachia colit et Ganges ultimus et India trans Gangen. *Solidos* ex *colit hos* deprauatum reor: id cum prius super *Ganges* scriptum fuisset, mox in uersum uenit sed corruptum in *solidos*. Pendet haec coniectura ex Huetii adnotatione, qua docet Geminos modo Castorem et Pollucem, modo Apollinem et Herculem existimatos esse. Poteris tamen aliter interpretari sic; Euxinus Pontus Phoebum colit, eumdem colunt Indi cis et trans Gangen, ita tamen ut potius Herculem uenerentur. Versus genus ex Arato petitum, Phaenom. 301 Τόξον ὅτ' ἠέλιος καίει καὶ ῥύτορα τόξου.

IV. 773–775 sic extant in Gembl.

Hesperiam sub libra tenet qua condita Roma
Orbis et imperia retinet discrimina rerum
Lancibus et positis gentes tollitque premitque.

773 sub *Cus. o* sibi *Voss.*[1] sua *Voss.*[2] 774 imperium *Cus. Voss.*[1] *b o.* 775 positas *Cus. Vossiani b o.*

Optime Iacobus edidit *Orbis et imperio:* etiam hic *o* in *a* deprauata est. Sed u. 775 quanto melius Gembl. *positis* seruauit quam ceteri codices *positas!* nihil illo uerius, nihil hoc ineptius.

IV. 778–781 sic extant in Gembl.

Inferius uictae sidus carthaginis arces
Et libiam egiptique latus donataque rura
Thirrenas lacrimis radiatus scorpius arces
Eruit.

779 rura, 'a *ex corr. pr. m.*' *Thomasius.* 780 Tirrhenos *Voss.*[2] Tirenis *o* radiat *Voss.*[2]

Bentleium[1] hic ueri partem uidisse cum *Cyrenaeas herbas* crederet in *Thirrenas* latere ualde est probabile, nec multum abhorret a uero *Cyrenes lacrimis* scribendum esse, modo Pindari memineris qui in nono Pythiacorum carminum fabulam Cyrenes adornans tradit eam, uirgo cum esset uenatu gaudens et lecto caelibe, ab Apolline amatam et a Peneo natali in Libyam transuectam ibi terrae portionem accepisse. Pyth. ix. 55 νῦν δ' εὐρυλείμων πότνιά σοι Λιβύα Δέξεται εὐκλέα νύμφαν δώμασιν ἐν χρυσέοις πρόφρων. ἵνα οἱ χθονὸς αἶσαν Αὐτίκα συντελέθειν ἔννομον δωρήσεται Οὔτε παγκάρπων φυτῶν νήποινον οὔτ' ἀγνῶτα θηρῶν. Schol. Arat. Germanici ed. Breysig p. 86 *quem* (*Aristaeum*) *Apollo fertur ex Cyrene procreasse, quam compressit in monte Orpheo qui Cyrenis appellatur.* Sed *arces* corruptum aperte est, cum 778 idem uocabulum *arces* exhibeat: nec quisquam adhuc ostendit quo sensu *Eruit* sit positum. Ego locum sic corrigendum puto, *radiato Scorpius arcu Exuit*, interpretans de nimio calore regionum Carthaginis Libyae Aegypti Cyrenes, propter quem qui ibi uiuunt radiis icti Scorpionis exuunt se uestibus, nudis corporibus incedentes. *Radiato arcu* Manilius de Scorpione proprie usurpauit, habita ratione caudae curuantis se in arcum. Gloss. Phillipp. 4626 *Arcuatum uulnus dicitur i. curuatum quod a cauda scorpionis quae curua est infligitur.*

[Haec ut scripsi anno 1889, sic reliqui, uno mutato quod prius *radiatos—axes* posueram. Interea locum et Rossbergius et Breiterus tractarunt, Nou. Annal. Philol. 1889 pp. 712–713, 853–855. Ambo mecum in hoc consentiunt quod *Cyrenes* scripserunt, Bentleium secuti: sed Rossbergius in *arces* credidit subesse *acer*, adlato loco Arati 402 ὑπ' αἰθομένῳ κέντρῳ τέραος μεγάλοιο Σκορπίου: *Cyrenes lacrimis* interpretatur lacrimam Cyrenaicam siue laserpicii, quo *donata* siue dotata sint *rura*

[1] Dorothei fragm. 13 in Koechliana ed. Manethonis Apotelesmaticorum (Teubner 1858) κλίμα Κυρήνης ὑπὸ Χηλαῖς, Ἰταλίη χώρη τε πέλει πλάστιγγας ὑπ' αὐτάς. Hic Cyrene non Scorpio tribuitur, sed Librae. Plerumque inter Dorotheum et Manilium mira est consensio.

istius regionis; nisi cui placeat *Cyrenas* accusatiuum facere, cui uocabulo per appositionem subnexum sit *rura donata lacrimis.*

Breiterus, quod satis mirari nequeo, postquam *donata rura* ex eodem Pindari loco illustrauit quem ego adtuleram, non, ut ego, *Cyrenes lacrimis* de amissa uirginitate interpretatus est, quam Apollo dono camporum solatus sit, sed, ut Rossbergius, de ὀπῷ Κυρηναικῷ siue lacrima Cyrenaica: *arces* autem in *armis* refinxit, *Eruit* ad armatam caudam Scorpii rettulit, qua is rimetur terras (IV. 217–219).

Ego, quod anno superiore scripseram, nondum lectis horum dissertationibus, ne nunc quidem abicio, et sic censeo: (1) *Cyrenes lacrimis*, id quod omnes diuinauimus scribendum esse, (2) has lacrimas de dolore Cyrenes ab Apolline compressae dici, (3) *radiatus arces* in *radiato*[1] *arcu* corrigendum esse. Nam in Voss.[2] *radiat* non *radiatus* exaratum est. Sed *arcu* ad caudam refero, non ad chelas, quamuis Ouidius dixerit M. ii. 195 *Est locus in geminos ubi brachia concauat arcus Scorpios et cauda flexisque utrimque lacertis Porrigit in spatium signorum membra duorum.* (4) *Eruit* quamuis satis apte Breiterus explicarit de scorpii cauda, uix idonee dicitur de Carthaginis *arcibus* h. e. muris, cum ad sola tantum terrae accommodetur, quae ille rimari et quodammodo eruere potuerit: itaque *exuit* repono, cum et Carthago et Libya et Aegypti latus et Cyrenarum regio pariter omnes exuere se uestibus cogantur propter nimios calores Scorpii. Simili usu dixit Martialis xiv. 109 de calice gemmas habente quae multis digitis exui poterant, *quot digitos exuit iste calix!* Itaque totus locus sic euadit

> Inferius uictae sidus Carthaginis arces
> Et Libyam Aegyptique latus donataque rura
> Cyrenes lacrimis radiato Scorpius arcu
> Exuit.]

[1] Dixerat Aratus Phaen. 402 *ὑπ' αἰθομένῳ κέντρῳ τέραος μεγάλοιο Σκορπίου*, ubi scholiasta haec adnotauit. *αἰθομένῳ· λαμπρῷ. λαμπρότεροι γάρ εἰσιν οἱ ἐπὶ τοῦ κέντρου ἐπικείμενοι ἀστέρες.* In signis Zodiaci qualia apud Bentleium ex Farnesiana tabula figurantur unus est Canis qui radiatus dici potuerit: huius enim ex capite quattuor surgunt acuminati radii. Etiam in Harleiano codice 647 Arateorum Ciceronis, ubi inter alia signa Sirius pictus est, ex capite eius surgunt miniati radii.

IV. 787, 788 sic traditi sunt in Gembl.

Insula Trinacriae fluitantem ad iura sororem
Subsequitur cremen sub eodem condita signo.

787 adiuta *o b*. 788 creten *o b* crentens *Voss.*[2] cretens *Voss.*[1] *Cus.* Ex *ad iura adiuta* repono *aditura*. Sicilia ab Italia diuolsa et sic facta insula propius accedere fingitur uelle ad sororem suique similem insulam Creten: hoc enim, nec aliud quicquam *fluitantem* significare arbitror. Respexit Lucret. i. 717 *Insula quam triquetris terrarum gessit in oris Quam fluitans circum magnis anfractibus aequor Ionium glaucis aspargit uirus ab undis Angustoque fretu rapidum mare diuidit undis Italiae terrarum oras a finibus eius. Creten* in *Crentem*, hoc in *Cremen* deprauatum fortasse est.

IV. 794–796 sic extant in Gembl.

Teque feris dignam tantum germania matrem
Asserit ambiguum sidus terraeque marisque
Letibus assiduis pontum terrasque tenentem.

796 *Estibus* Voss.[2] *b o astibus* Lips. teste Iacobo. *Letibus* etiam Cus. *Cetibus* Voss.[1]

Verum nonnullis potest uideri id quod est in Voss.[1] *Cetibus*. Oceanum septentrionalem abundare monstris multi testantur. Pedo Albinouanus ap. Senec. Suas. i. p. 8 Bursian *Hunc illum pigris immania monstra sub undis Qui ferat Oceanum, qui saeuas undique pristis, Aequoreosque canes ratibus consurgere prensis.* Scio *cetibus* non prouenire datiuum uel ablatiuum pro *cetis:* sed sic inflecti potuisse a Manilio non infitiabitur, qui *sucus* III. 144, non *sucos*, *gigantes* non *gigantas* I. 421, *Arabes* IV. 754, non *Arabas*, a Manilio usurpata, si modo codicibus fides est, meminerit (Kramer de Manilii elocutione p. 28). Quid quod sic denique sublucet causa cur Germania *feris* tantum digna mater uocetur. Quam enim regionem cete balaenaeque aliaeque per maris aestus inuectae beluae assidue infestant, ea demum regio sic appellanda erat.

IV. 797–799

Sed iuuenis nudo formatus mollior actu

Aegyptum ***** lepidam tyriasque recedit
Et cilicum gentes uicina et aquarius arua,

797 actu *Voss.*[1] *Cus.* arcu *o* actus *Voss.*[2] actus s *inducta Lips.* 798 E. alepidam *Cus. Vossiani o* turasque *Voss.*[2] ad urbes Tyriasque recedit *Regiom.* ad arces terrasque r. *Bonincont.* Aeg. tepidam Tyriasque recedit ad arces *Bentleius.*

Ne hic quidem Bentleii emendationes pro certis habendae sunt. Hic enim locum sic refinxit

Sed iuuenis nudos formatus mollior artus
Aegyptum tepidam Tyriasque recedit ad arces
Et Cilicum gentes uicinaque Caridos arua.

Primum attende inconcinam παρήχησιν trium uersuum *artus arces arua.* Deinde, qui iuuenis mollior est u. 797, cur non idem disertius Aquarius 799 dicendus erat?

u. 798 male Iacobus *Aegyptum* in *Assyriam* mutauit; nam ut notauit Bentleius, Aegyptus modo sub Ariete (752) modo sub Scorpio (779) hic denique sub Aquario censetur. Sed ne *lepidam* quidem abiciendum reor, cum Aegyptus propter conuiuia lususque et facetias semper nobilis fuerit[1]. Iam illud *ad arces* a Bonincontrio uenit, cum in antiquis codicibus nihil sit eiusmodi: omnes enim *Aegyptum a lepidam* praebent: unus Gemblacensis *Aegyptum ***** lepidam*, relicto, secundum Thomasium, spatio quinque fere litterarum. Itaque si Gemblacensi credimus, poterit uersus sic corrigi *Aegyptum supra lepidam Syriasque recedit*, in quo *supra* potius quam *iuxta* scripsi, memor tabulae Farnesianae, cuius imaginem habet editio Bentleiana Manilii; nam in hac Aquarius iuuenis est corpore et uultu femineo, dextra aquam ex urna defundens, quae in subditas defluere regiones possit uideri.

[Etiam haec ut scripta sunt a me aestate anni 1889, sic edidi. Disseruerunt de loco iidem qui de 778 sqq. Rossbergius et Breiterus. Quorum Rossbergius *Aegyptum* in *Ad Cyprum* mutat; post hoc nomen regionis (Leptim, Nisibim?) putat

[1] Vopiscus in Vita Saturnini 7 *sunt enim Aegyptii uani liberi nouarum rerum usque ad cantilenas publicas cupientes uersificatores epigrammatarii mathematici haruspices medici.*

excidisse; *lepidam* in *tepidam*, *tirias* in *Sirias*, illud ut Bentleius, hoc ut ego, corrigit: *Aquarius* non mutat.

Breiterus uu. 798, 799 sic scribit

> Aegyptum ad tepidam Tyrias Syriasque recepit
> Et Cilicum gentis uicina et Aquarius arua.

Vnum addo quod praetermiseram. *Actu* qua significatione sit positum ostendit Paulus Festi p. 17 s. u. *Actuosi*, (*Actus significat*) *modo motum corporis ut histrionum et saltatorum qui etiam ex hoc ipso actuosi dicuntur.* Ouid. Halieut. 71, 2 *Celsaue cum caeso decorantur terga leone* (equi) *Quam tumidus quantoque uenit spectabilis actu.* Itaque *nudo actu* dicit motum nudi corporis.]

IV. 801 sqq. sic extant in Gembl.

> Piscibus eufrates datus est ubi piscis uruptor
>   i
> Cum fugeret tphona uenus subsedit in undis,

pisces *Voss.*[2] uruptor *Cus. Voss.*[2] irruptor *Voss.*[1] pisce sub atro *Vossius* pisce sub hirto *Iacobus* pisce suborto *ego.*

Hygin. P. A. ii. 30 *Diogenes Erythraeus ait quodam tempore Venerem cum Cupidine filio in Syriam ad flumen Euphratem uenisse, et eodem loco repente Typhona giganta . . . apparuisse. Venerem autem cum filio in flumen se proiecisse, et ibi figuram piscium forma mutasse: quo facto, periculo esse liberatos.* Qua cum narratione mire congruit nostrum *suborto*, cum in deae figuram successerit piscis forma: nam *suboriuntur* quae aut se ipsa renouant aut in locum eius quod fuit succedunt. Cf. III. 508.

IV. 821 sqq. sic extant in Gembl.

> Scilicet inmenso nihil est aequale sub aeuo
> Perpetuosque tenet flores unumque tenorem
> Mutantur sed cuncta diu uariantque per annos
> Et fecunda suis subsistunt frugibus arua
> Continuosque negant partus effeta creando.

823 diu *codd.* die *Gronouius Obseruat.* i. 2 *adstipulante Bentleio. Idem etiam Withofius adnotarat.* 824 Nec *Huetius* Et . . . absistunt *Bentleius.* 825 'negant *ex* negat *inter scribendum fecit pr. m.*' *Thomasius.*

Gronouium *diu* in *die* mutantem uix poterit sequi qui *diu*, *die* non semel inter se tanquam contraria opponi reputarit Plaut. Pers. ii. 3. 12 *Diu quod bene erit, die uno absoluam;* neque ita facile per palaeographiae leges *die* in *diu* inmutari. *Diu* hic insolenter positum uidetur, ut significet in longo ordine saeculorum. Sic et a Maximiano usurpatum est I. 271 *Fracta diu rabidi conpescitur ira leonis, Lentaque per senium Caspia tigris erit,* ubi *die* Ommerenus et post eum Baehrensius et Petschenigius maluerunt: sed *diu* praestat et Etonensis codex optimus et ceteri codices.

Melius me iudice Huetius uersui 824 consuluit scripto *Nec* pro *Et* quam Bentleius *subsistunt* in *absistunt* mutando. Non raro hic error codices inuasit ut negatiua particula cederet in adfirmatiuam. Nam *subsistunt* quidem quis non uidet optime dici de aruis quae imparia sunt ferendo quotannis fetui? Rectissime Stoeberus ad 819, 820 prouocauit *certos quia delassata per annos Nonnunquam cessant sterili torpentia motu.* Ouid. Pont. iii. 4. 83 *Res quoque tanta fuit, quantae subsistere summo Aeneidos uati grande fuisset onus.* Auian. Fab. xvi. 19 *Haec nos dicta monent magnis subsistere fluxa;* nam *subsistere* est in cod. Bodleiano quem *O* notaui, *obsistere* in ceteris.

IV. 830

Et uomit Oceanus pontum sitiensque resoluit,

fortasse *resorbit* scribendum, non *resorbet.* Prisc. i. 491 Keil *Sorbeo uel etiam sorbo, ut Probo placet, sorpsi uel sorbui.* Quod in German. Arat. Progn. iii. 14 codices Basileensis et Parisinus Breysigii dant *Incipit agricolis in uirgine sorbere uota* id in Strozziano melius sic scriptum est *soluere. Absorbitur* Serenus Sammonicus 460 in Baehrensii P. L. M. iii. p. 228.

IV. 848, 849 sic extant in Gembl.

Ipsa docet titulos causae quae ecliptica signa
Dixere antiqui, pariter sed bina laborant.

848 Ipsa *Cus. Lips. Voss.*[1] Ipse *Voss.*[2] titulos *codd. omnes* quae *om. Voss.*[2] *et Lips. pr. m.* Ipsa (docet titulus causaeque) ecl. signa *ed. Molinii* 1551. Ipse docet titulus causas: ecliptica signa *Bentleius* 849 sub *pro* sed *o.*

Non temere mihi uidetur illud *quae* in tot codices inlatum. Fuitne

Ipsa (sc. signa) docent titulo causas, quae ecliptica signa
Dixere antiqui ?

h. e. signa quia ecliptica ab antiquis uocata sunt per se docent causas siue etymologiam tituli sui. Nam eclipsin cum luna patiuntur.

[Breiterus uerba *causae—antiqui* interpolata credidit : cetera sic scribenda

Ipsa (Luna) docet titulos : pariter sed bina laborant.]

IV. 873 sqq. sic traditi sunt in Gembl.

Quid iuuat in semet sua per conuicia ferri
Et fraudare bonis quae nec deus inuidet ipse
Quosque dedit natura oculos deponere mentis
Perspicimus caelum cur non et munera caeli
Inque ipsos penitus mundi descendere censũ
Seminibusque suis tantam componere molem
Et partum caeli sua per nutritia ferre
Extremumque sequi portum terraeque subire
Pendentis tractus et toto uiuere in orbe
Quanta et pars superest rationem discere noctis.

877 censum *Cus.* census *Voss.*^{2} *b o* sensus *Regiom.* 879 partium *o.* 880 portum *codd. omnes* pontum *Bentleius.* 882 et *codd. Fortasse* ea Quanta et pars superest, rationem ducere nostis *Breiterus, ut infinitiuos* descendere—componere—ferre—sequi—subire—uiuere *ex* nostis *penderent.*

Causas hic adfert Manilius cur astronomiae fides habenda sit : nec deum enim nec naturam obstare ne leges scrutemur rerum quae in uniuerso mundo patent. Si fas est hominibus caeli faciem oculis intueri, cur non mentis oculis indagare liceat dona caelestium ? Hoc enim *munera caeli* significat, non munus id quo caelum fungitur (873–876). Quae igitur dicit *munera caeli ?* Nimirum ea quae statim subiungit per infinitiuos, mundi rationem cognoscere, et in primordia sua siue semina rerum reducere (871, 878) ; caeli principia et quasi primos nutricatus

intelligere[1] (879); extremos limites maris (*pontum* enim, non *portum* scribendum esse Bentleius ostendit) ac terrae perspectos habere et tanquam domestico usu cognitos (880, 881). Haec omnia a dis data hominibus si fas est arripere et amplecti, quam tenue est exiguumque quod superest, *rationem discere noctis* et astrorum.

Nihil hic est quod scrupulum moueat, nisi quod Gembl. *censū* h. e. censum, non *census*, exhibet: sed *census* est in optimo Voss.[2] Vnum est quod emendatione egeat *Quanta et*, pro quo repono *Quanta ea*, h. e. quam parua superest ea pars, ut astrorum rationes et naturam perspiciamus.

[Nunc uideo Kramerum in dissertatione de infinitiuo apud Manilium p. 8 infinitiuos *descendere—componere—ferre—sequi—subire—uiuere—ediscere* facere ex *iuuat* pendentes. Sic si uoluit poeta, licentius aequo sententiam disposuit, sensum in obscuro reliquit.

Bentleius structurae sic suppetiatus est ut 882 *Quanta—noctis* interpolatum haberet, uerba *cur non et munera caeli* sic scriberet *cur non est munere caeli*, unde penderet infinitiuus *descendere* et qui hunc secuntur. Sed non satis causae ostendit cur uersus iste *Quanta et pars superest rationem discere noctis* spurius iudicaretur; neque in MSS quicquam est nisi *et munera*.

Mihi placet uerba potius aut sic struere ut supra proposui, aut κατὰ σύνεσιν, ut ex istis *Quanta ea pars superest* h. e. Quantillum est id quod restat, ut quis noctis et siderum discat rationes, suppleatur per aposiopesin quamdam id quod contrarium est 'magnum sane est,' uel 'quantum est.'

Inque ipsos penitus mundi descendere census,
Seminibusque suis tantam componere molem
Et partum caeli sua per nutricia ferre,
Extremumque sequi pontum terraeque subire
Pendentis tractus et toto uiuere in orbe —
Quanta ea pars superest, rationem discere noctis!

Prop. iv. 6. 65 *Di melius! quantus mulier foret una triumphus, Ductus erat per quas ante Iugurtha uias!* h. e. *quantulus*.]

[1] Aliter Bentleius, *partum caeli* hominem intelligens, qui locis caelestibus initio factus et nutritus, post in terras demissus est.

IV. 883 sqq.

> Iam nusquam natura latet; peruidimus omnem
> Et capto potimur mundo, nostrumque parentem
> Pars sua perspicimus, genitique accedimus astris.
> An dubium est habitare deum sub pectore nostro
> In caelumque uenire animas, caeloque uenire?
> Vtque sit ex omni constructus corpore mundus
> Aetheris atque ignis summi terraeque marisque,
> †Sp̃m *** et toto rapido quae iussa gubernant
> Sic esse in nobis terrene corpora sortis
> Sanguineasque animas animo, qui cuncta gubernat
> Dispensatque hominem?

890 totum *Voss.*^{2} rapidum *Cus.* gubernent *Voss.*^{2} uissa *potius Voss.*^{2}

u. 885, recte Iacobus retinuit *Pars sua;* significatius dixit Manilius homines mundum perspicere a quo uelut parente orti pars eius propria adhuc et indiuisa maneant.

u. 890 Bentleius ut spurium eiecit: quamuis sublato isto desit aliquid ad comparationem. Id Iacobus intelligens uersum sic correxit

Spiritus et motu rapido, quae uisa, gubernet,

addita hac explicatione 'ut sit in mundo spiritus, qui rapido motu quae uisa sint gubernet, ita in nobis cuncta gubernantem uigere animum.' In quibus tamen falsum est istud *quae uisa:* quare enim spiritus ea gubernet quae uidit? sin alio sensu haec Iacobus uoluit, ut *quae uisa* idem sit quod 'sicut ei uisum est,' ab usu poetae nimium declinauit.

Versus, si spatium post *Sp̃m* excipias, ut ex Gembl. exscripsi sic extat in ceteris codicibus, nisi quod Voss.^{2} *totum*, *gubernent* habet. Et prius quidem *Sp̃m* siue *Spiritum* contractum credidi ex *Spirituum*, cuius pluralis alterum exemplum extat Cul. 182 *Spiritibus rumpit fauces:* dein *tortu* ex *toto*, *causa* ex *iussa* (cf. 812 *Quaeque alia in uarios affectus causa gubernat*) eliciebam: *Spirituum et tortu rapido quae causa gubernet.* Nunc plerisque adsentior *Spiritum* eodem uitio ortum ex *Spiritus*, quo 877 *censum* ex *census* in Gembl., 899 *censumque* in Voss.^{2} Lipsiensi

Cusano pro *censusque* traditum est; in *rapido* autem latere uidetur *rapit.* Cetera diuinantur tantum: sed poterit fortasse sic scribi

Spiritus at totum rapit atque in iussa gubernat

quo recepto aut *fit* in 888 scribendum erit, aut clausula *Spiritus at totum rapit atque in iussa gubernat* interposita sic est ut minus arte cum praecedentibus cohaereat, fiatque ex obliqua oratione reditus ad directam.

IV. 897, 898

proiecta iacent animalia cuncta
In terra uel mersa uadis uel in aere pendent.
897 *num* bruta?

Languet *cuncta:* Bentleius *muta*, ego *bruta* reposuerim, quod multo similius est ductibus litterarum. Etiam v. 15 *Et biferum cetum squamis atque ore tremendo*, potuit *biferum* ex *ciferum*, hoc ex *sirium* deprauari: nam cetos illud quod Andromedam in scopulo pendentem necatum ibat, nec *biferum* nec semiferum fuit, ut recte perspexit Bentleius; Syrium certe uocari potuit, quoniam iuxta Iopen oppidum Phoenicum et Perseus descendit et belua ista interfecta est; cuius rei indicio fuisse in praeiacente (Iopae) saxo uinculorum Andromedae uestigia testatur Plinius H. N. v. 69 citatus a Mayoro in Commentariis Iuuen. iii. 117, 118, ubi alios locos adtulit ad eandem historiam pertinentes.

IV. 901–903

Vnus † et inspectus rerum uiresque loquendi
Ingeniumque capax uariasque educitur artes
Hic partus.

901 et *codd.* in *Bentl.* ad *ego.*

IV. 911, 912

Huic in tanta fidem petimus quam saepe uolucres
Accipiunt trepidaeque suo sub pectore fibrae.

suo quid sit non uideo: *suum* emendatio facillima. Cum irrisione quadam dictum est.

IV. 918–919 sic extant in Gembl.

Vt bene cognosci possit doceatque uidendis
Qualis erat doceatque suas attendere leges.

918 uidentis *Heringa Obseruat. p.* 162 uidendo *b o.* 919 eat *b o* cogatque *Voss.*[2]

Optime locum retractauit Heringa, scribendo

Vt bene cognosci possit doceatque uidentis
Qualis eat cogatque suas attendere leges.

[Idem nuper Breiterus ex propria posuit coniectura.]

LIB. V.

V. 5–7

Ac per descensum medios percurreret ignes,
Saturni Iouis et Martis Solisque, sub illis
Post Venerem et Maia natum te, Luna, uagantem.

Sic locus distinguendus erat, non ut uulgo factum est post *sub illis.* Simillimi sunt uersus I. 811, 812

Saturni Iouis et Martis Solisque, sub illis
Mercurius Venerem inter agit Lunamque locatus.

Manilius, postquam signorum figuras recensuit, Oriona Argo Amnem Cetum Draconem Sirium Aram Anguem cum duabus Arctis Aurigam Booten Coronam Ariadnes Persea Andromeden cum parentibus Cepheo et Cassiepia Equum Delphinum Cygnum, haec addit uti scripta sunt in Gembl. (26–29)

26 Caeteraque in toto passim labentia caelo
Quae mihi per proprias uires sunt cuncta canenda
Quid ualeant ortu quid cum merguntur in undas
Et quod de bis sex astris par quenque reducat.

29 Et quod addebissex *Voss.*[2] Et quota de bis sex *Bentleius* quodque *o Bentl.*

u. 29 optime Bentleius correxit, nisi quod non mutandum

erat id quod habent omnes codices *quemque.* Nam signa quanquam, in uniuersum si respicias, neutraliter et dici debent et dicuntur, singula nonnunquam quasi personam induunt et genere utuntur masculino. Hoc ut minus admireris faciet recordatio figurarum quibus stellae et zodiaci partes apud antiquos pingebantur; uix enim dubites iam inde ab Arati saeculo in usu fuisse imagines siderum quales hodieque extant in Harleiano codice 647: ut nihil dicam de tabula Farnesiana quae Bentleianae editioni Manilii praefixa est.

V. 34, 35 sic extant in Gembl.

> Colchidis et magicas artes qui uertere Colchon
> Medeam iussit mouitque uenena per orbem.

34 uisere *Voss.*[2] tolchon *Voss.*[1] Iolcon *Bentleius* (Iolco *iam Scaliger*).

Putaram posse *Colchon* genetiuum Graecum Κόλχων esse, uerba sic strui *et qui* (sc. Aries) *iussit Medeam uertere magicas artes Colchidis et Colchon:* nam *Colchidis Colchon* eodem modo codices praestant quo *Colchis Colchiacis* apud Prop. ii. 1. 54, quod iure tutatus est Hertzbergius quasi significarit Medeam artis magicae mulierem peritissimam in regione omnium uenenorum feracissima. Sed inter exempla Maniliana Graecae declinationis apud Kramerum pp. 24–28 nihil huiusmodi inueni. Aliter rem adgressis poterit Manilius Platonem uideri expressisse qui in Euthydemo 285 c haec habet ὡς ἐγώ, ἐπειδὴ καὶ πρεσβύτης εἰμί, παρακινδυνεύειν ἕτοιμος καὶ παραδίδωμι ἐμαυτὸν Διονυσοδώρῳ τούτῳ ὥσπερ τῇ Μηδείᾳ τῇ Κόλχῳ· ἀπολλύτω με, καὶ εἰ μὲν βούλεται, ἑψέτω, εἰ δ', ὅ τι βούλεται, τοῦτο ποιείτω. Sic *Colchon Medeam* idem erit quod *Colchicam Medeam;* nominis iteratio significabit Colchorum artes magicas a peritissima Colcharum alio uerti et quasi abalienari.

Audacius hoc, ut nihil dicam de uerbo *uertere*, pro quo *auertere* potius dicendum erat. Nec desunt apud antiquos qui Colchida cum Iolco sic coniungant ut hic Manilius a Bentleio creditur coniunxisse. Scholiasta Euthydemi l. c. αὕτη γὰρ συνεβούλευσεν ἀπὸ Κόλχων μετὰ Ἰάσονος εἰς Ἰωλκὸν ἐλθοῦσα ταῖς Πελίου θυγατράσιν, ἵνα, εἰ τοῦτον βούλοιντο νέον γενέσθαι, ἑψηθῇ. Sed

ne a palaeographia quidem causandum erit: nam in uersu Metamorphoseon vii. 158 *uictor Iolciacos tetigit cum coniuge portus* optimus codex Marcianus *Cholchiacos* habet; et in Seruiano scholio ad Verg. Ecl. iv. 34 *socii Iasonis Minyae appellati sunt uel ab agro huius nominis Colchorum* Vossius reponebat *Iolcorum* (? *Iolciorum*). Sed, quod omnium est maximum, bene sic explicatur *uertere*, h. e. a Colchis in Iolcon migrare facere.

V. 44, 45 sic traditi sunt in Gembl.

aliumque uidere
Phasin et in cautes Typhĩ superare triremem [1].

45 trementem *Vossiani Cus. b o. Fort.* tenentem.

Si in Voss.[2] *obstantem* 81 sic scriptum est *obsantrunque*, eadem deprauatio potuit ex *tenentem* facere *triremem*. Nam cum *em* effectum esset *run*, ut *e* in *ri* abiret, pari ratione credas *triremem* ex *tenentem* profluxisse.

Liu. xxxi. 45 *Cetera classis Geraestum tenuit:* et mox *Inde Cassandream petentes primo ad Mendaeum, maritimum ciuitatis eius uicum, tenuere.*

V. 46, 47

Tolle istos partus hominum sub sidere tali.
Sustuleris bellum Troiae.

Ex hoc loco fortasse tueri poteris Catulli illud absolute sumptum *Ingratum tremuli tolle parentis onus* lxviii. 142.

V. 50

Vera Syracusis Salamis non merget Athenas.

Vt ra *Voss.*[2] Versa *Iacobus, sed in textu* Victa *praetulit* Vlta *Thomasius.*

Recte Iacobus *Versa* ex coni. dedit. *Salamis uersa* est triumphi, qui ad Salaminem factus erat Atheniensium, conuersio in fugam qua iidem Athenienses Syracusis uictos se fatebantur. Frustra Breiterus *Mersa:* nec Thomasii coni. *Vlta,* si codicum scripturam examines, tam prope ad litteras uidetur accedere quam *Versa:* quamuis ad sensum optime dicatur *Salamis ulta*

[1] Est tamen *Argoque triremis* in uersibus de Sphaera Caeli in Baehrensii P. L. M. v. p. 380.

(passiue) Syracusis mergere h. e. pessum dare Athenas. Sed uide Thomasium de hoc loco disserentem Lucubrat. p. 8.

V. 53

fortuna
et in ponto caeli secura natabit.

Sic Gembl. quod non inutile erit notasse, ut alias *fortuna natura*, sic hic *fortuna*, *secura* permutari.

V. 57

Sed †summa lateris surgens de parte sinistri
Maximus Orion.

Sic codices praeter Voss.[2] qui *et deus malaterrris* habet, idemque fere sub rasura Lipsiensis exaratum fuisse testatur Iacobus. Hinc *decima* correxit Bentleius, haec adnotans 'sequitur enim post iv partes in uersu 39, mox uersu 67 pars xv, et uersu 102 xx, et uersu 118 xxvii, et uersu 128 ultima. Firmicus etiam *decima*, notante Scaligero. Inter iv et xv recte uenit *decima*.' Iam[1] Huetius in Animaduersionibus quas ediderat in Delphini editione Manilii a. 1679 haec scripserat 'cum uero censuerit Manilius cum quarta Arietis parte Nauim συνανατέλλειν, cum decima quinta Aurigam, atque inter utramque partem Orionem locauerit, decimae haud dubie contribuendus est, cui eum adscripsit Firmicus.' At de Huetio ne unum quidem uerbum in Bentleii adnotatione inuenies. Cuius si aliqua mentionem fecit, plerumque aut doctum appellans ueram laudem tollit doctrinae, aut ibi eum commemorando ubi uerum Huetius minus perspexerat, de auctoritate eius detrahit, aut denique ubi Huetius unius litterulae mutatione lucem reddiderat, Bentleius totum locum immutando et corrigendo ex luce dedit fumum, cuius notabile exemplum est V. 707. Hoc notandum duxi quia ad interpretationem Manilii nihil equidem inueni Huetio aut perspicacius aut uberius aut quod magis indicaret totius astronomiae peritissimum.

[1] Nihil dico de Reinesio, qui tamen haec diu ante enotarat: E Firmico fuerit legendum, *Sed decima* (p. 19 Appendicis Scaligeranae editionis 3ae anni 1655).

V. 63

Inde lassato properantia corde uidere,

sic Gembl. et ceteri codices: sed iam in Regiom. ed. recte editum est *Indelassato properantia corda uigore.* Falso id Scaligero Iacobus tribuit: centum ante annis occupauerat Italus.

V. 74, 75

et flectere equorum
Praeualidas uires ac toto stringere gyro
torto *b o*

torto pro *toto* plerasque edd. inuasit, uno, quod sciam, refragante Stoebero, cui hic adsentior, non solum quia *torto* ταυτολόγον et paene ineptum uidetur, sed quod *toto*, *stringere* sibi inuicem respondent. Qui enim equos in gyrum circumagit, is ne extra lineam circuli diuagentur, retrahit semper et reducit; quod dum saepius facit, equi *toto gyro stringuntur* siue oris gyri raduntur: sic enim potius interpretor *stringere* quam ut sit i. q. claudere uel coercere. Anglice 'to keep the horse grazing the edge of the circle from one end (of the ring) to the other.' Similis est significatio aduerbii παραγύρως.

V. 85–87

Necnon alterno desultor sidere dorso
Quadrupedum et stabilis poterit defigere plantas
†Per quos labit equos ludet per terga uolantum.

87 *Sic Gembl.* Per quos uadit *Cus. Voss.*[1] *o b* Per quo labit *Voss.*[2] *Fort.* Terque subibit. ludet *Gembl. Voss.*[1] *o b* ludat *Voss.*[2] ludens *Bentl.*

Bentleius scripsit *Perque uolabit equos;* sed *uolabit uolantum* uix Manilianum; scripserim potius *Terque subibit equos. Ter* pro *Per* habet Gemblacensis III. 638, omnes nostri III. 607. Mox *ludet* uere traditum est nec in *ludens* mutandum: asyndeton et hic fecit Manilius: cf. II. 498, IV. 220.

Totum hunc locum qui est de aurigis Firmicus ex Manilio expressit VIII. 6 *In huius ortu qui natus fuerit, aut erit auriga, aut equorum domitor, aut qui saltu quadrigas transeat, uel qui in dorso stans equorum mirifica se moderatione sustentet, atque apprime*

uectus equo militares armaturas exerceat. Hoc astro oriente Salmoneus et Bellerophontes a priscis auctoribus nati esse narrantur. (Bechert p. 21.)

V. 89 sqq. sic extant in Gembl.

Nunc †licet in longo per cursus praemia circo
Quicquid de tali studio formatur habebit
Hinc mihi Salmoneus qui caelum imitatur in orbe
Pontibus impositis missisque per aera quadrigis
Expressisse sonum mundi sibi uisus et ipsum
Admouisse Iouem terris † de fulmine fingit
Sensit et immensos ignes super ipse secutus
Morte Iouem didicit, generatus possit haberi.

89 licet *codd.* leget *Turnebus* cursum *Voss.*^{2} percussus *Cus. o b.* 91 imitatur *Voss.*^{1} *Cus. o b* imitatus *Voss.*^{2} orbe *Voss.*^{1} *Cus. o b* urbe *Voss.*^{2} *Fort.* in orbem. 92 Montibus *Voss.*^{1} *o b.* 94 Atque mouisse *Voss.*^{2} de *codd. Fort.* quae. 95 Sinsit *Voss.*^{2} immissos *Gronouius Obs.* iii. 15.

licet in *leget* correxerat Turnebus; id neglectum a Scaligero, reduxit Iacobus, nulla Turnebi addita mentione. u. 90 *formatur* est formam accipit et certa ratione in artem fingitur, 'takes shape.' In sequentibus haeret structura. Codices praeter Voss.^{2} habent *imitatur*, hic *imitatus*, quod recepit Bentleius et post eum Iacobus. Mox 94 Isaacus Vossius sic refinxit *dum fulmina fingit Sensit*, idque Iacobus edidit: in 95 *immissos* praeclare reuocauit Gronouius Obs. iii. 15.

Mihi *imitatur* potius quam *imitatus* scripsisse Manilius uidetur. Nam si *imitatus* legas, nimium tardatur oratio, inlatis per participia tot clausulis antequam ad finale uerbum *Sensit* perueniatur, *qui caelum imitatus, uisusque expressisse sonum mundi et admouisse Iouem terris, sensit fulmina dum fingit.* Hoc si fecit Manilius, praeter solitum morem fecit. At si *imitatur* scripsit, eodem genere usus est praesentis quod Propertius frequentauit, e. g. ii. 9. 10 *Candida uesana* (*Briseis*) *uerberat ora manu.*

Structura facile se explicat per duas partes, alteram *Qui caelum imitatur*, alteram *uisusque expressisse s. mundi et admouisse Io. t. sensit fulmina dum fingit.*

Ad singula ut ueniam, *in orbe*[1] retinendum uel *in orbem* scribendum reor, *Pontibus impositis in orbe(m)*, ut Salmoneus fingatur pontes in orbiculatam quamdam speciem fecisse, siue per arcuum seriem siue ita colligato aere ut unum ingentem efficeret circulum. Sed in u. 94 dubito num Vossii emendationi *dum fulmina* non praeponendum sit *quae fulmina:* cui coniecturae meae non obstat quod *fingit*, non, ut Reinesius uolebat, *finxit* traditum est in codicibus; nam praesens hic indicatiui ad priorem illum *imitatur* accommodatus uidetur. Itaque totum locum sic scripserim

> Hinc mihi Salmoneus, qui caelum imitatur in orbe(m)
> Pontibus impositis, missisque per aera quadrigis
> Expressisse sonum mundi sibi uisus et ipsum
> Admouisse Iouem terris, *quae* fulmin*a* fingit,
> Sensit, et immi*ss*os ignes super ipse secutus
> Morte Iouem didicit, generatus possit haberi.

V. 101 sic legitur in Gembl.

> His erit Heni^{c}ohi surgens tibi forma † cananda.

conanda *Voss.*[2] *et corr. Lipsiensis* canenda *Cus. Voss*[1]. *Lips.* cauenda *o b Regiom.* notanda *Bentl.*

Malim ad prius illud *cauenda* redire. Nam agitatoris, desultoris, Salmonei, Bellerophontis studia, quibus Heniochus praesidet, periculosa sunt omnia; ut merito timorem incutiat hoc sidus parentibus sub eo nascentium. Germ. Arat. 401 *Inter certa licet numeres sub nocte cauenda Turibulum.*

V. 105, sqq. sic extant in Gembl.

> nec crede seuerae
> Frontis opus signi strictos incoda catonis
> Abruptamque patri torquatum et horatia facta
> Maius onus signo est hedis nec tanta petulcis
> Conueniunt leuibus gaudent lasciuaque signant
> Pectora.

106 *An* gigni? strictosque *Voss.*[2] structos *o b* incude *Voss.*[1]

[1] Aliter Thomasius p. 9 *in orbe* ratus hic opponi *caelo*, ut I. 760 *Huc migrant ex orbe, suumque habitantia caelum*, II. 127, 8 *Quis neget esse nefas inuitum prendere mundum, Et uelut in semet captum deducere in orbem?*

meude *Cus.* incoda *Voss.*^{2} ne crede *o b Fort.* in saecla. 107
Abrutamque *Voss.*^{1} Abruptumque *Voss.*^{2} Abreptumque *Bentleius.*
108 onus *Voss.*^{1} *o* onnis *Voss.*^{2} *teste De Vriesio* opus *b* signi *b* signi^{o} *o.*

Signi ex *signo* corruptum non crediderim, sed ex *gigni.* Pro *incoda* bona pars codicum habet *incude.* Emendationum nulla placet [1]; non Bentleii *strictas in colla securis*, non Iacobi *strictos nec corda Catones.* Verum credo *strictos in saecla Catones*, h. e. Catones seueritate armatos contra saeculi prauitatem. Sic Martialis de Chresto ix. 28. 8, 9 *sonasque grandibus loquax uerbis Et cum theatris saeculoque rixaris*, eiusdemque *Catonianam linguam* insectatur 14. Pluralem sic usurpauit ut scriptor Epiced. Drus. 45 *Quid tenuisse animum contra sua saecula rectum?* Lucanus x. 110 *Nondum translatos Romana in saecula luxus*, quanquam non me fallit Nettleshipium in libro quem nuper edidit *Contributions to Latin Lexicography* pp. 581, 2 aliter de his locis sentire, Epicedion falsitatis propter hoc ipsum insimulare.

V. 111–114 sic extant in Gembl.

uario ducunt in amore iuuentam
In uulnus numquam uirtus sed saepe libido
Impellit turpisque emitur uel morte uoluptas
Et mininum (*sic*) cecidisse malum est quia crimine uictum.

114 Minum *an* munim *sit in Voss.*^{2} *aegre perspicitur: sed Falconero Madan uisum est* minum minimum *o b* ce^{ci}disse *Cus.* tendisse *Voss.*^{2} quia *codd. sinceri* sed *o b ex interpolatione* crimen *o* uictus *Iacobus.*

Si ex Voss.^{2} reformandus esset uersus 114, posset *munim* uel *minum tendisse* ex *minimi intendisse* uitiatum credi, *malum* ex *manum*, *quia* ex *ui ac*, ut sic euaderet

Et minimi intendisse manum est ui ac crimine uictum,

h. e. minime flagitiosum habetur si quis manum alicui intenderit, cum uictus ante fuerit ui tractus in iudicium; nam *quia* *uia* ante inter se permutata uidimus I. 707.

[1] Velut nouissima Thomasii *strictum ensem in corda Catonis.*

Nescio tamen an non retinenda sit lectio Gemblacensis et plurimorum: *cecidisse* causa apud iudicem *minimum* malorum habetur *quia* damnationem et poenam crimen et culpa antecessit: nam in culpa et flagitio gloriantur qui sub Haedis nati sunt; *uictum* accusatiuum facio qui per βραχυλογίαν quamdam referatur ad opinionem siue ipsius damnati siue de eo sermocinantium: nam in istis *minimum malum est* latet notio uerbalis uelut *creditur* siue *credunt*, quasi dictum esset: cecidisse causa minimum malorum habetur, quia crimine uictum credunt cecidisse. Neque hoc a Firmici uerbis viii. 6 *hi praeterea* (dicit sub Haedo natos) *frequenter libidinibus capti et praeposteri amoris studiis occupati mortem sibi inferre coguntur:* nam hoc uult poeta; uenerem inlicitam dum sectantur, accusati causa cadunt, quapropter exilio uel pecuniis multati mortem sibi coguntur inferre.

V. 124

Pacis bella probant curaeque alimenta ministrant,

curaeque *codd.* furtimque *Bentleius* iraeque *Thomasius.*

Optime Thomasius *iraeque.* Quid enim aptius ira eis quibus *nulla quies placet*, quos *seditio clamorque iuuant*, qui *Gracchos tenentes Rostra uolunt, montemque sacrum, rarosque Quirites?*

V. 128, 129 sic extant in Gembl.

Vltima lanigeri cum pars excluditur orbis
Quae totum ostendit terris atque eruit undis

orbis *Vossiani* orbi *o b Regiom.*

Notabilis βραχυλογία inest uerbis *excluditur orbi*, nam *orbi* datiuus, non ablatiuus est. Vult poeta Arietem ultima parte exclusum undis, totum surgere supra horizontem, siue *orbi.*

V. 132–134

illa tonanti
Fundamenta dedit pectusque impleuit hiantis
Lacte suo, dedit et dignas ad fulmina uires.

132 tonandi *Breiterus* 133 Nutrimenta *Withofius et sic Bentl.*

Olenien siue Capellam dicit quae infanti Ioui alimenta dedisse fingebatur. u. 132 *tonanti* Breiterus in *tonandi* mutauit, uix ad sensum satis apte, quamuis III. 97 *proxima continet in se Fundamenta domus* contulerit; nam ut nihil dicam de inani ταυτολογίᾳ

quae sic inesset uerbis *dedit et dignas ad fulmina uires*, paene ridicule fingeretur capra quae lac suum infanti praebuit *fundamenta* sic posuisse tonandi; aliter ea rudimenta dicturus erat. Equidem suspicor poetam scripsisse *Pulpamenta* 'meat' siue 'dainty meat,' etsi hoc uerbum de lacte sic usurpatum non habeo unde fulciam. Dixit quidem Cicero Tusc. Disp. v. 32. 90 *cubile terra, pulpamentum fames, lacte caseo carne uescor:* sed non multum hinc praesidii. Sed tamen satis quid uoluerit, explicauit; nam si quaeras unde pulpamentum capra Ioui, et cuiusmodi? statim respondet addendo *pectusque impleuit hiantis Lacte suo.* Firm. viii. 6 *Exoritur capra quam fabulosi poetae alimenta uolunt Ioui infantulo praebuisse.*

V. 135 sqq. sic extant in Gembl.

Hinc fidae mentes tremebundaque corda creantur
Suspensas trepidus leuibus obnoxia uentis.
137 His etiam ingenium uiscendi ignota cupido
Vt noua per noctisque ruunt arbusta capellae
Semper et ulterius pascentes tendere gaudent.

136 trepitus *Voss.*[2] leuibusque *codices plerique.* 137 ingenies tuisendi *Voss.*[2] 138 per noctis rufa arbusta *Voss.*[2]

136 Corriges *Suspensa at strepitus* (sic Luc. Mueller de r. m. p. 320), non *in strepitus* quod maluit Bentleius. Mox in 137 Voss.[2] habet *ingenies tuisendi*, unde Iacobus *ingenita est* edidit; sed ut *tamen* pro *etiam* ex Veneto codice praetulerit. Ego ex Vossiani[2] scriptura *ingeniost* potius elicio; uult poeta etiam sub capra natis suam indolem ingeniumque esse, quo ducti ignota uisere cupiant: datiuus est *ingenio*, h. e. locum habet ingenii siue indolis. 138 *quaerunt* correxerunt Scaliger Reinesius Bentleius; *per montes* Bentleius, ad sententiam quidem optime, ad palaeographiam uix satis certe; nec Withofii et Iacobi *pernices* mihi quidem satis facit. Nam potest ita uerum esse *per noctes* si capellas tibi finxeris nocte sublustri, quales multae Italis sunt, ex somno excitatas pabuli studio in diuersa ferri. *Vlterius pascentes tendere gaudent* apte illustrat Aeschyleum πρόνομα βοτὰ Supp. 670, ubi Tuckerus in edit. 1889 sic disserit 'This forward-grazing was so much noted by the Greeks as to be

embodied in their word *πρόβατα*, of which *πρόνομα βοτὰ* is here the poetical equivalent.' Vnum superest quod explicatione egeat *fidae* 135. Id Iacobus non recte interpretatus est haec scribens 'quod propter fidelem Iouis tutelam nequaquam a sidere (Caprae) abhorret. Amicos uero fidos quidem, sed timidos quis non expertus est?' Nec tamen *timidae*, quod et Scaligero placuit et Bentleio, in *fidae* abiturum fuisse reor; *pauidae* potius scripserim.

Hinc *pa*uidae mentes tremebundaque corda creantur,
Suspensa at strepitus, leuibusque obnoxia uentis.
His etiam ingeni*o*st uisendi ignota cupido,
Vt noua per noctes quaerunt arbusta capellae,
Semper et ulterius pascentes tendere gaudent.

V. 140–142 sic extant in Gembl.

Taurus in aduersos praecepsque attollitur ortus
Sexta parte sui certantes lucis odores
Peliades ducit.

140 praeceps attollitur *Cus. Lips. Voss.*[1] *o b* p. compellitur *Voss.*[2] ut tollitur *Scaliger* cum tollitur *Bentleius* 141 lucis odores *Cus. Voss.*[1] *Lips. o b* luce sorores *Voss.*[2] *Regiom.* lucis honore *Breiterus.* 142 Pleiades *codices plerique.*

Omnia hic diu correcta, *auersos* (Scal. Bentl.), *luce sorores* (Regiomont. Bentl.). Sed quod Gembl. dat sicut exhibui, id non credo esse *praeceps cum tollitur* (Bentl.) neque uero *praeceps ut tollitur* (Scal.) sed *qua tollitur* uel *qua attollitur.* Nescio an Breiterus, *lucis honore* cum scribendum putaret, *odore* in aliquo codice inuenerit; Gembl. certe habet *odores*, neque aliter in ullo de meis repperi.

V. 162–164 sic extant in Gembl.

Ille prius uictor stadio quam missus abibit
Illecito moritur rigidos eludere cestus
Nunc exire leuis missas nunc mittere palmas.

163 Ille cito *plerique* moritur *Voss.*[1] *Cus.* motu *Voss.*[2] monitus *ed. Neap.* 164 missā *Cus. Voss.*[1]

Cum in 162 *missus* sit non dubie, desit autem ex quo infinitiui *eludere—mittere* pendeant, denique *missam* in 164 praestent Cus.

et Voss.[1], suspicor *missas*, quo idem uocabulum ter iteratur, non recte traditum extare. Fuitne *instat* uel *instans?* Non enim mihi persuasit Scaliger *leuis exire* sic strui ut *indocilis pauperiem pati*.

V. 168

Ille potens turba perfundere † certa pilarum.

Certa codices. Suspicor reponendum esse *crura*. Iam II. 253 *crura* in *contra;* hic in *certa*, ut equidem arbitror ex *curta*, *cruta*, uitiatum est. Exemplo sit nudus ille puerulus apud Richium *Companion to the Latin Dictionary* p. 502, 'who exhibits feats of dexterity with a number of balls, by throwing them up with both hands, catching them on, and making them rebound from, the inner joint of the elbow, leg, forehead, and instep, so that they keep playing in a continuous circle round his person without falling to the ground.'

Hunc totum locum qui est de pilis uidetur mihi Ouidius respexisse in Tristibus ii. 485, 6 *Ecce canit formas alius iactusque pilarum, Hic artem nandi praecipit ille trochi*. Quod *nandi* adiunxit artem, eundem Manilium ante oculos habuit V. 420 sqq. Vide quae disserui in censura edit. Owenianae Hermathenae T. xvi. p. 196.

V. 170, 171

Vt teneat tantos orbes, sibique ipse (ipsa *codd.*) reludat,
Et uelut edoctos iubeat uolitare per ipsum.

Si *orbes* hic positum est pro pilis (et uidetur, nam ita denique *edocti uolitare* recte dicuntur) *tantos* eadem significatione usurpatum habes qua apud recentioris aeui scriptores, h. e. pro *tot*. Vide quae adnotaui ad Auiani Fab. x. 9.

V. 172, 173

Inuigilat somnis, curas industria uincit;
Otia per uarios exercet dulcia lusus.

172 summis *Voss.*[2]

'Id praedicit euenturum nato sub lepore, quia lepores apertis oculis dormire solent,' Huetius. At Bentleius 'Ergone *inuigilat somnis* idem erit quod *uigilat in somnis?* Quis hoc ferat?' Nusquam tamen Huetius sic interpretatus est; tantum ostendit

causam quare nati sub lepore inuigilare somnis quasi proprie dicantur. Recteque sic intellexit Huetius; aliis reliquit curam structuram expediendi. Nam *inuigilat somnis* non potest id quidem significare *uigilat in somnis;* at potest esse 'uigilem somnum exercet,' siue somni munere sic fungitur ut nunquam uere dormiat, sed leporis more apertis oculis dormire uideatur. Anglice 'he keeps awake over his sleep.' Nunc considera quid Bentleius contra Huetium attulerit de suo: uersum sic refinxit

Inuigilant curis; somnos industria uincit.
Otia per uarios exercent dulcia lusus.

Quis haec ferat? cum in omnibus codd. sit *inuigilat*, *exercet;* in omnibus praeter Voss.[2] *somnis*, *curas*, in nullo *curis*, *somnos;* denique cum homines quidem *curis* inuigilare dicantur, lepores autem proprie, et hi soli, *somnis*. Vnde facilis in homines et uere Maniliana tralatio.

V. 174 sqq. sic extant in Gembl.

Nunc cancro uicina canam cui parte sinistra
Consurgunt iugulae quibus adspirantibus orti
Te meleagre colunt flammis † habitantibus ustum
Reddentemque tuae per mortem munera matri
Cuius et ante necem paulatim uita sepulta est
Atque athlanteos conatum ferre labores
Et calidonea bellantem rupe capellam
Vincentemque uiros et quam potuisse uideri
Virgine natus erat sternentem uulnere primo
Quãque erat acteon siluis imitandus et ante
Quam canibus noua praeda fuit.

176 habitantibus *Cus. Voss.*[1] *b o* habentibus *Voss.*[2] latitantibus *Reinesius.* 179 athlanteos *o Voss.*[1] ad lanteos *Cus.* atalanteos conatur *Voss.*[2] 180 calydonaeam *Voss.*[1] calidoni(e *Cus.*)am *o Cus.* calydoniaca *b* puellam *ceteri codices.* 181 uideri *Cus. Voss.*[1] *b o* uidere *Voss.*[2] maius *Vossiani b o.* 183 Quanquam *o solus* mutandus *Voss.*[2]

Tractauit hunc locum Gronouius[1] Obseruat. ii. 11, qui primus

[1] Huius libelli altera editio prodiit Lugduni Batauorum anno 1662.

intellexit Manilium hic ex Ouidio pendere Met. viii. 260–546, ubi fabulam apri Calydonii ab Atalanta et Meleagro occisi, tum Meleagri mortem in stipite combusti per Althaeam matrem enarrauit. Hunc sequens Gronouius Manilianum u. 177 *Reddentemque tuae per mortem munera matri* optime explicauit ex Met. viii. 504 *Bisque datam, primum partu, mox stipite rapto, Redde animam:* sunt enim *munera* quae Meleagros *reddidit* matri uita quam bis ab ea acceperat, primo ab ea editus in lucem, deinde seruatus a morte postquam Althaea stipitem, de quo salus nati pendebat, a Parcis igni impositum eripuerat et in penetralibus imis abdiderat (Met. viii. 450 sqq.). Eodem Ouidio duce Gronouius pro *habitantibus*, quod cum Barthio Aduers. v. 1 delirium insigne librariorum uocat, *absentibus* scribebat. Met. viii. 515 *Inscius atque absens flamma Meleagros ab illa Vritur.* Bentleio quoque haec Gronouii coniectura certa uisa est, cum tres alios locos adferret ubi de Meleagro sic pereunte idem uocabulum *absens* inlatum est, Ib. 603, Rem. 721, Prop. iii. 22. 31. Adde quod Vossianus² *habentibus* praestat, non ut ceteri *habitantibus:* quodque post *adspirantibus* in 175, uix alterum participium Manilius isdem litteris clausum inlaturus erat[1]. Fugit tamen Gronouium etiam 178 ex Ouidio expressum fuisse. Qui si Meleagrum narrans cum ardente stipite simul extingui haec scripsit

crescunt ignisque dolorque
Languescuntque iterum: simul est extinctus uterque.
Inque leues abiit paulatim spiritus auras
Paulatim cana prunam uelante fauilla,

idem dixit prolixius quod Manilius in unum uersum contraxit.

Haec si uere disputantur, scribendum erit in 179 *Atalanteos*, quod in Vossiano² legitur, non *Atlanteos*, ut uolebat Bentleius de Hercule uenatore (Claudian. de iv cons. Honorii 533) interpretans. Etiam hoc uersu Ouidium secutus est Manilius. Prima enim aprum quamuis leui uulnere Atalanta strinxit, prima

[1] Huetius *habitantibus* interpretatus est ‘ἐνοικοῦσι intestinis;’ neque aliter Breiterus (de emendatione Manilii, Hanover 1854) ‘exprimere uoluit τὴν οἰκείαν φλόγα.’

sanguinem eius quamuis exiguum exhibuit (viii. 380–383). Tum meriti eius consors factus Meleagros aprum interfecit

> Atque ita 'sume mei spolium, Nonacria, iuris,'
> Dixit 'et in partem ueniat mea gloria tecum.'

Itaque *conatum ferre* sic interpretor, uoluisse Meleagrum sese consortem fieri Atalantae cum aprum interficeret. Mox u. 181 *et quam* recte tradi uidetur; suem Calydoniam significat. In ceteris singularis est bonitas codicis *Voss.*[2] qui solus ex nostris praestat *uidere*, nec cum reliquis *imitandus* praue, sed *mutandus* leuiter corruptum ex *metuendus* (sic iam Scaliger) habet. Nam quid est *siluis imitandus?* Aperte requiritur id quod *siluis* explicationem suam adferat. Itaque *Quamque* retinuerim hoc sensu: *puellam sternentem* (suem) tamque metuendam siluis *quam siluis erat metuendus Actaeon, at ante quam* a canibus dilaniatus est. Et hoc quidem *at* iam Iacobus coniecerat: cetera ante me nemo explicauit.

V. 184, 185

> ducuntur et ipsi
> Retibus et claudunt campos formidine † mortis,

sic Gembl., sed Lipsiensis cum Voss.[2] habet *montes*. Si recte traditum est *mortis*, *hac* pro *et* scripserim, h. e. retibus claudunt campos quae tanquam formido aliqua mortis timorem feris incutiant: ut *formidine* duplici quodam sensu adhibeatur, (1) indaginis, (2) timoris, qua significatione Lucretius dixit *non minimam partem mortis formidine aluntur.* Et solent poetae ludere in hac duplici significatione uocabuli. Nemes. Cyn. 303 sqq. *Linea quin etiam magnos circumdare saltus Quae possit uolucresque metu concludere praedas, Digerat innexas non una ex alite pinnas. Namque ursos magnosque sues ceruosque fugaces Et uulpes acresque lupos ceu fulgura caeli Terrificant linique uetant transcendere septum. Has igitur uario semper fucare ueneno Cura tibi niueisque alios miscere colores Alternosque metus subtegmine tendere longo.* Nec tamen infitior potuisse *campos* uitium trahere: pro quo si *canos* reponas, locutio erit Vergiliana, G. i. 43 *Vere nouo gelidus canis cum montibus umor Liquitur.*

Marklandi[1] quidem coniecturam *formidine pinnae* reponentis cum PINE propter praecedens DINE excidisset non possum probare (ad Stat. Silu. p. 191, ed. Sillig).

V. 209

Qua (Canicula) subdente facem terris radiosque
mouente
† Dimicat in cineres orbis, fatumque supremum
Sortitur, languetque suis Neptunus in undis.

Iterum hic moneo quod plurimos latuit, *radios mouere* proprie dici Sirium; qui et in tabula Farnesiana et in Harleiano codice 647 Ciceronis Arateorum radios acuminatos (*spiked rays*) capiti habet adpictos. Sed in u. 210 confiteor me nondum perspexisse quid sit istud *Dimicat in cineres*. Pingraeus quidem sic uertit 'la terre, prête à être réduite en cendres, paroît être à son dernier moment.' Voluit, credo, *dimicat* idem esse quod reluctatur ne in cineres soluta pereat. Vitiatum potius uersum puto, et scribendum *Ima dat in cineres:* nunquam magis aestu feruente quam cum Canicula in ortum suum uenit. V. 17 *Et canis in totum portans incendia mundum.*

V. 216–222 sic extant in Gembl.

tantus per sidera feruor
Funditur atque uno ceu sunt in flumine cuncta
Haec ubi se ponto per proximas extulit horas
Nascentem si quem pelagi restinxerit unda
Effrenos animos uiolentaque pectora finget
Irarumque dabit fletus odiumque metumque
Totius uulgi.

217 uno ceu sunt in flumine *codices omnes.* 218 *sic codd. praeter b* per primas e. horas *b* per pronas *ed. Rom.* 1510. 219 si *om. Lips. m. pr.* quam nec *om.* si *Voss.*[2] restrinxerit *Voss.*[2] *Lips.* perstrinxerat *Voss.*[1] *Cus.* constrinxerit *o.* 220 fingit *Vossiani o* stringit *Cus.* 221 fletus *etiam Voss.*[2] *Cus.* fluctus *Voss.*[1] fluxtus *o* flatus *Iacobus.*

u. 217 certatim emendarunt, Reinesius *atque imo sitiunt in*

[1] Idem censet Doruillius ad Charit. p. 532.

flumine cuncta, Bentleius *atque uno se accendunt lumine cuncta*, Iacobus *atque uno candent in flamine cuncta*. Vnus, quod sciam, Stoeberus *flumine* sic interpretatus est, ‘omnia quasi liquefacta calore diffluere ut cera aut metallum igni impositum.’ Et *ceu sunt* quidem non modo nihil habet in se difficultatis, sed etiam mirifice conuenit ad temperandam ac mitigandam locutionem *uno sunt in lumine*, sic enim ex Bentleii coniectura scribendum reor. Sed in 218 nec *primas* quod coni. Reinesius, nec *pronas* quod Scaliger, utrumque ab Italis multo ante inuentum, satis facit. Si litterarum ductus sequaris, poterat esse *per proxima sustulit orae*, h. e. per eam partem extremi litoris siue horizontis quam sibi proximam habet.

Multo plus scrupuli mouet 219. In quo quod *Nascentem* Iacobus mutauit in *Hiscentem*, et hoc cum lectione coniunxit Vossiani[2] *quam nec pelagi restrinxerit unda*, non ita scripsisse Manilium persuasum habeo. (1) *restrinxerit* cum *unda* incongruum, quae potius *restinxerit* h. e. mitigarit aestuantem. (2) Quem autem unda sic restinxerit? Non Caniculam, sed *nascentem* Canicula oriente. Id enim agitur in libro V, ut quid maneat sub singulis signis natos explicetur. Itaque ad ceteros codices reuoluimur. Ex his Gembl. cum Cusano et Voss.[1] habent *Nascentem si quem*, Lipsiensis *Nascentem quem* om. *si*, quod postea corrector addidit. Pro *restrinxerit* autem quod dant Lipsiensis et Voss.[2], *restinxerit* quod Gembl., scriptum est in Voss.[1] et Cusano *perstrinxerat*. Hinc alternam eruo lectionem

(1) Nascentem si quem pelagi perstrinxerat unda,

h.e. si cui nascenti oriens Canicula ex Oceano partem suae potentiae iniecerat.

(2) Nascentem *ni* quem pelagi restinxerit unda,

h. e. nisi tum nascenti temperata per Oceani fluctus, unde oritur, Canicula mitior adfuerit.

Superest in 221 *fletus* pro quo melius Voss.[1] *fluctus*. Verg. Aen. xii. 831 *Irarum tantos uoluis sub pectore fluctus*. Lucr. iii. 296 *uis est uiolenta leonum Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes Nec capere irarum fluctus in pectore possunt*. Et

leonem referunt sub Leone nati. Cf. Woltjer *de Manilio poeta*, p. 56.

V. 230

Effunduntque suas concesso in robore flammas.

Etfunduntque *Voss.*[2]

Corpore Iacobus ex Voss.[2], uix recte: *robore* et hoc ualet et accedit significatio uirium, h.e. quouis ualido corpore, qualia sunt leonum et aprorum (228, 229). Sed ex eodem Voss.[2] fortasse reuocandum erat *Ecfundunt*, sicut Cul. 274 *Ecfossasque* pro *Necfossasque* codicum.

V. 235 sic extat in Gembl.

Cęteraque auratis surgit celatus ab astris.

Pro *Cęteraque* quod plerique in *Crater* uel *Craterque* correxerunt, Breiterus *Cratera* substituit, nescio an recte; nam *c*(*a*)*elatus ab astris* facile ex *caelata sub astris* deprauari poterat, cuius similia non pauca habet Manilius, e.g. I. 845 *Hirta figurantis tremulo sub lumine menta*; cf. Iacobi Indicem s.u. *Sub*. Sed alias *crater* masculinum usurpauit noster, V. 250 *Talis effinget crater umoris amator*, I. 417 *et una gratus Iaccho Crater*. Nec tamen in Manilio solum sic fluctuant codices: nam in Martiano Capella ex Eyssenhardtii ed. intelligo *crateram* accusatiuum habere cod. Bambergensem 829, Reichenauensem 841, *cratera* nominatiuum Bamb. m. pr. 843, quamuis ibi Eyssenhardtius *crater*, ut in 838, ediderit. Accusatiuum *crateram*, ablatiuum *cratera* usurpauit Germanicus Arat. 505, 620.

V. 238, 239 sic extant in Gembl.

Et te bache tuos nubentem iungit ad ulmos
Disponetque iugis

238 tuos *codices praeter Voss.*[2] *et b* tuas *Voss*[2] *et b* iungit *Voss.*[1] *o b* iunget *Scaliger*. 239 Disponetue *Voss.*[2]

Cum hoc loco comparandus est uersus Catulli lxii. 54 *At si forte eadem est ulmo coniuncta marito*; in utroque enim uitis ulmo, tanquam marito femina, dicitur iungi. Et hoc est cur masculino genere et *tuos* Manilius et *marito* Catullus posuerit. Nam *ulmus* non femininum modo uidetur fuisse, sed ut *cupressus*

ficus spinus platanus populus laurus pinus fagus interdum, prout res poscebat, masculinis accensebatur.

V. 244–246 sic extant in Gembl.

nec parce uina recepta
Hauriet †emiseris et fructibus ipse fouetur
Gaudebitque mero mergetque in pocula mentem.

245 Hauriget *Cus.* frugibus *Voss.*[1] *b o* fouetur *Voss.*[1] *b* uouetur *o* fruetur *Scaliger.*

Correxerunt *emiscens emistris emessis.* Credo longius a litteris codicum abesse quod requiritur, *inuergens.* Proprium id de bibentibus qui uini crateras inuergunt siue inclinant in os Plaut. Curc. i. 2. 13. Disseruit de hoc uocabulo Gronouius in Obseruat. ii. 7. Corruptelam ex conpendiis scripturae sic fortasse expedies: excidit suprascriptum ~ (*er*), *g* in *s* abiit, *n* in *ri.*

V. 260, 261 sic extant in Gembl.

Ceruleum foliis uiridemue in gramine collem
Conseret et ueris depinguet prata figuris.

260 Caeruleumque oleis uiridemue in palmite collem *Bentleius* foliis *codd.* uiridemque *Voss.*[1] *o b Regiom.* germine *Iacobus.* 261 depinget *plerique An* distinguet?

Quod Bentleius, citato Lucr. v. 1372 *Prata lacus riuos segetes uinetaque laeta Collibus et campis ut haberent, atque olearum Caerula distinguens inter plaga currere posset Per tumulos et conuallis camposque profusa,* colles in uersu Manilii ratus est dici oleis uel uitibus consitos, ut hinc color caeruleus olearum, inde uiridis fieret uitium, nihil eiusmodi Manilium uoluisse multa declarant. Cur enim inter horti prouentus, uiolas hyacinthos lilia papauera rosas (256–259), oleae ac uites, non holera potius ac frutices inducendi erant? Columella certe postquam flores recensuit x. 97–105 pergit ad bulbos erucam chaerophylum intyba lactuculam allia ulpicam siser salgama capparin inulas ferulam mentas anethum rutam sinapim caepam postremo *caules,* 127 sqq. *Tum quoque conseritur toto quae plurima terrae Orbe uirens pariter plebi regique superbo Frigoribus caules et ueri cymata mittit:* neque indignum se habuit xv caulium genera

enumerare (130–139). Fecit idem Manilius, fortasse gratificaturus Tiberio, qui Drusum Caesarem cymata fastidientem ob hoc castigasse narratur a Plinio H. N. xix. 137. Et quis non uidit caerulea uel purpurascentia folia brassicarum? Vnum est quod scrupulum iniciat, *gramine*: id non ex *palmite*, sed ut alias ex *germine*, sicut Iacobus uoluit, uitiatum est. Plin. xix. 144 *est inter herbas genus inserendi praecisis germinibus et caulis in medullam semine ex aliis addito.* Itaque scribendum erit

Caeruleum foliis uiridemue in germine caulem
Conseret

h. e. brassicas seret siue quae foliis purpurascunt siue quae in uiridia germinant. Nam plerisque color est uiridis, unde Plinius *uiridis seruari*, *uiriditatem custodiri* tradit xix. 142, 143.

V. 264 sqq. sic tradiderunt Gembl. et ceteri codices

in mutua pressos (*sc.* flores)
Incoquet atque arabum siluis mulcebit odores
Et medios unguenta dabit referentia flatus
Vt sit adulterio sucorum gratia maior.

265 eque Arabum s. miscebit odores *Reinesius adstipulante Bentleio An* mutabit? 266 Medos *Bentl. citato Verg. G.* ii. 136 Medorum siluae.

Speciosa est coniectura Reinesii, neque tamen certa; nam debuit potius *aque*: nec *mulcebit* ex *miscebit*, sed ex *mutabit* credo uitiatum. Eadem tralatione usus est 267, *adulterio sucorum.* Manilii interpres Horatius sit Epod. xvi. 30–32 *Nouaque monstra iunxerit libidine Mirus amor, iuuet ut tigres subsidere ceruis, Adulteretur et columba miluo.* Nam qui nouis modis herbas floresue coniungit ut mutata copulatione noui odores creentur, is quasi adulterium facit sucorum. Sic II. 22 *Atque arbusta uagis essent quod adultera pomis.*

V. 273 sqq. sic extant in Gembl.

Aruorum ingenerat studium rurisque colendi
Seminaque in faenus sulcatis credere terris
Vsuramque sequi maiorem sorte receptis
Frugibus innumeris atque horrea quaerere messi.

Et si forte labor iuris tardauerit artes
Quis sine nulla ceres non ullus seminis usus
Subdere facturos luci frumenta superque
Ducere pendentes orbes et mergere sacra.

275 maiorem *Voss.*[2] maiori *Voss*[1] *o.* 280 iuris *Vossiani* ruris *o b* tardaueris *Voss.*[2] 282 f. luci *Cus. Voss.*[1] facturos liti *Voss.*[2] fracturo silici *Withofius* farra *codices plerique.* tergere farra *Reinesius*, '*i.e. purgare excussis glumis et paleis.*'

Optime Huetius 'sensus est, quod si rure laborare non poterunt, ad domestica opera conuertentur.' Sed incertum reliquit *tardauerit* dictumne sit pro cessauerit, an ex eo *artes* pendeat. Illud praetulit Pingraeus 'si l'on ne peut s'appliquer aux travaux de la campagne, on exercera des arts, sans lesquels,' &c. In quo iure haesit Thomasius, cum nec *tardauerit* ab accusatiuo suo disiungendum esset, nec placeat *artes* pendens ex uerbo longius remoto *Ingenerat.* Non recte tamen, me iudice, Thomasius huiusmodi sententiam requirit 'Et si forte natura eis negauerit uires ad opus ruri faciendum, exercebunt artes sine quibus,' &c. Nihil equidem tam magnum ex locis ausim colligere quos Thomasius attulit V. 498 *Et si forte bonis accesserit impetus ausis, Improbitas fiet uirtus*, V. 651 *Et si forte aliquas animus consurget in artes, In praerupta dabit studium*, V. 471 *At si quis studio scribendi mitior ibit, Comica componet laetis spectacula ludis*, V. 447 *At si deficient artes, remanebit in illis Materies tamen apta.* Quid enim aliud habent hi inter se et cum V. 280 commune, nisi quod eosdem describunt quales fiant, si quanquam sub uno nati sidere in diuersa trahantur pro indolis uel rerum temporumue discrimine? Neque emendationem desidero: uidetur enim Manilius hoc uoluisse: Spica surgens *ingenerat aruorum studium et semina credere—usuramque sequi—atque horrea quaerere : et si forte ruris labor tardauerit artes* h.e. si in agris laborantes non uacauerint ad prosequendas artes sine quibus non poterunt granis uti ad cibum parandum, dico *subdere fracturo silici frumenta et mergere farra*, quae sunt artes molendi et aqua mergendi, (has etiam ingenerat). Quanquam, ut ordinata sunt uerba, poterunt infinitiui *subdere ducere*

mergere non appositiue subnecti accusatiuo *artes*, sed ex ipso primario uerbo *Ingenerat* quamuis remotiore pendere.

V. 299 sqq. sic extant in Gembl.

Quod totius tecicro dederim sidusue genusue ?
Teue philoctetae cui mallim credere parti ?
Hectoris ille faces arcu teloque fugauit
Mittebatque suos ignes et mille carinis
Hic ortam pharetram troiae bellumque gerebat
Maior et armatis hostis subsederat exul.

299 totius *Voss.*[2] totum *Voss.*[1] *b o* potius *Scaliger* tecicro *Voss.*[2] circo *Voss.*[1] teucro *b o ed. Rom.* 1510. 301 arcu telumque *Voss.*[2] arcus et tela (tella *o*) *Cus. Voss.*[1] *b o.* 302 *interpolatum credidit Bentleius.* 303 ortam pharetram *Voss.*[1] *Cus.* orta in pharetro *Voss.*[2] autem pharetram *b o* Hic sortem pharetra *Bentleius.*

u. 302, si modo nothus non est, ualde deprauatum tradiderunt codices, nec multum Iacobus profuit corrigendo *Moenibus Argiuis.* Melius Scaliger scripserat *Mittebat qui uos, igneis, in mille carinas ;* sed ne hoc quidem a Manilio. Fortasse fuerat

Mittebat seuos (saeuos) ignes qui mille carinis

uel

Qui seuos ignes mittebat mille carinis.

Dixerat Ulysses apud Ouidium contra Aiacem sermocinans Met. xiii. 177 *Utque alios taceam, qui saeuum perdere posset Hectora nempe dedi*, et mox 182 *Aulidaque Euboicam conplerunt mille carinae.* Certe ad Hectora, non ad Teucrum, imperfectum *mittebat* referendum censeo. Pont. iv. 7. 41, 42 *Talis apud Troiam Danais pro nauibus Aiax Dicitur Hectoreas sustinuisse faces.*

Totus locus sic euadit:

Quod potius Teucro dederim sidusue genusue?
Teue, Philoctete, cui malim credere parti?
Hectoris ille faces arcu teloque fugauit,
Mittebat saeuos ignes qui mille carinis.
Hic sortem pharetra Troiae bellumque gerebat,
Maior et armatis hostis subsederat exul.

V. 319, 320 sic extant in Gembl.

Non ullo curam digito qui iuuerit hastae
Defueritque bonis sector.

319 illo coram *Gronouius ad Stat. Silu. p.* 408 digito *codd.* qui iuuerit *Voss.*[1] *Cus.* que quiuerit *b o* hasta *Voss.*[1] hastam *b o.* Non illo coram digitos quaesiuerit hasta *Bentleius. Fortasse* digitum inquisiuerit.

Rectissime Gronouius et Bentleius uersum de auctionibus interpretati sunt, et hic quidem haec adnotans 'coram illo numquam hasta caruerit digitis: hasta enim in auctionibus erigebatur; et licitatores digitum tollebant. Mos notissimus Cicero I Verr. c. 54 (§ 141) *accurrunt ad tempus tutores: digitum tollit Iunius patruus*, et alibi non semel.' Verr. iii. 11. 27 *utrum est aequius? cum qui manu quaesierit an eum qui digito licitus sit possidere?* Paul. s. u. *Manceps* p. 151 M. (p. 139 von Ponor) *Manceps dicitur qui quid a populo emit conducitue, quia manu sublata significat se auctorem emptionis esse.*

Vnum est in quo haereas: codices enim constanter *digito*, non *digitos*, tum *qui iuuerit* uel *que quiuerit.* Hoc credo ex *digitum* { *inqui* / *inquae* } *siuerit* ortum fuisse. Nam illud *qui*, *que* ad uerbi formam ducit in qua utrumque scribi potuerit, h. e. compositum quale est *inquisiuerit* siue *inquaesiuerit.* Praeterea *digitum tollere*, non *digitos* licitatoris fuisse testantur loci quos supra citauimus.

V. 322–324 sic extant in Gembl.

nec non lasciuit amaris
In uarios ponitque forum sua detque lieo
Nobilis in saltus et seue mollior arte

322 amaris *codd. non interpolati* amores *b o.* 323 madetque *o* madet atque *b* mandetque *Bonincont.*, *num* mandrasque? 324 Nobilis *Cus. Vossiani* Mobilis *o* scenae *Voss.*[1] *et plerique* artae *Lips.* artor *Voss.*[2] irae *Voss.*[1] *fort.* ore.
uel ire

Miror etiam Bentleium *forum* hic res forenses, ut uerbis utar Fayi, interpretatum, quas *ponit* siue deserit qui sub Sagitta natus

est. Nimirum non de foro litigantium uel alia ibi negotia tractantium hic agitur, sed de uenere et uino et horum comite alea. Forum igitur est tabula lusoria, quam *ponit* in mensam otio ac lusui indulgens. Seneca ad Polyb. de Consol. xvii. (*C. Caesar*) *in Albano suo tesseris ac foro et* †*peruocatis* (pyrgo talisque Gertzius) *et huiusmodi aliis occupationibus acerbissimi funeris eleuabat mala.* Ouidius P. iv. 2. 41, 42 *nec uinum nec me tenet alea fallax, Per quae clam tacitum tempus abire solet.* Suet. Claud. 5 *ebrietatis quoque et aleae infamiam subiit.* Menand. fr. 914 Kock πoτoὶ ξυνεχεῖς, κύβοι.

Sua detque siue ut alii codd. *suadetque*, Scaliger in *se datque*, Iacobus in *sua datque* correxit. Stoeberus ex Parisino codice (et sic *b*) *madet atque* edidit, melius, opinor, repositurus *maduitque.* Sed omnibus his praeferendum iudico Bentleianum *suadente:* nam *mandrasque*, quod ex Mart. vii. 72. 8 *Mandris et uitreo latrone clusos* explicatur, longius recedit a litteris Gembl. et bonorum codicum. Quod in 324 *ore* ex coni. posui (1) hoc ex *irae* eodem

i

modo corrumpi potuit quo in Auian. Fab. xxxvii. 8 *abore*, xv. 2 *inira* uel *inire* pro *in ora* exaratum est. Et sic Vossiani[2] lectio

ore

artor explicatur, h. e. *arte* (2) potuit dici *scaenae ore mollior* 'more mobile than the features of the stage,' qui omnes adfectus uultu exprimit. Quintil. I. 11. 1 *Dandum aliquid comoedo quoque, dum eatenus, qua pronuntiandi scientiam futurus orator desiderat. nec uitia ebrietatis effingat nec seruili uernilitate imbuatur nec amoris auaritiae metus discat adfectum . . . Plurimum tamen* (*orator*) *aberit a scaenico nec uultu nec manu nec excursionibus nimius.* Sen. Epist. ii. 4 *nihil erat mollius ore Pompeii: nunquam non coram pluribus rubuit* alia significatione. Ipse Manilius de scaenico 324 *referetque affectibus ora.*

V. 325 sqq. sic extant in Gembl.

Nunc surgente lyra testudinis enatat undis
Forma per heredem tantum p̄fata (praefata) sonantis
Qua quondam sonitumque ferens oe graius Orpheus
Et sensus scopulis et siluis addidit aures
Et diti lacrumas et morti denique finem.

326 praefata *etiam Lips.* praelata *Voss.*[1] *Cus.* post fata *Voss.*[2] planta *o* tonantis *Voss.*[1] *Cus. b o.* 327 Quo *Voss.*[1] sonumque *Cus.* feris *Bentleius* agrius *Voss.*[2] oeagrius *b o.*

u. 326 dubia interpretatio. Nam *praefata* cum Gembl. Lipsiensis, *praelata* Voss.[1] et Cusanus, *post fata* Voss.[2] habet. Hoc postremum amplexus est Bentleius, ut significaret quae sonuit *per heredem tantum* Mercurium, qui ex mortua testudine primus lyram effecit. Sed quomodo heres Mercurius dicitur? Nam teste eo qui Hymnum Homericum ad Mercurium scripsit, hic inuentam testudinem et in lyrae speciem conuersam Apollini tradidit; ut aut Apollo aut Orpheus, cui aliae fabulae a Mercurio datam fingebant, *heres* eius dici debuerit. Schol. Cic. Arat. p. ix ed. Kauffmann *Lyra inter sidera constituta est hac ut Eratosthenes ait de causa quod initio a Mercurio facta de testudine Orpheo est tradita, qui Calliopes et Oeagri erat filius eius rei maxime studiosus.* Schol. Germanici Arat. p. 151 ed. Breysig *quae* (*testudo*) *cum putrefacta fuisset et nerui eius extensi inter corium remansissent, percussa a Mercurio sonitum dedit, in cuius similitudinem Mercurius lyram fecit quam postea Apollini datam, alii Orpheo dicunt.* Sed nec Apollinem credo significatum a Manilio, qui ipse sui ut solet interpres proximo uersu Oeagrium Orphea intulerit. Itaque *heres* ille *tantus* Orpheus erit, per quem testudo post mortem suam uocalis facta est. Superest tamen noua dubitatio: cui enim uerba illa *per heredem tantum post fata sonantis* non sic potius explicanda uidebuntur, 'uocalis factae et Lyrae nomen adeptae in stellis non nisi per heredem et eum mortuum' h. e. per Orphea sed mortuum? Nam et illud *post fata* durius de testudine dicitur, et Ciceronis scholiasta, quem omnia ex Hygino traxisse ostendit Kauffmannus, tradit p. x *Musas collecta membra* (*Orphei*) *sepulturae mandasse et lyram quo maxime poterant beneficio illius memoriae causa figuratam stellis inter sidera constituisse Apollinis et Iouis uoluntate.*

Ceterum nec *praefata* nec *praelata* suo sensu caret: hoc, si *sonanti* scripseris, non enim Orpheus sed lyra in stellas relata est, et sic *praelata sonanti* sc. domino suo Orpheo per quem sonuerat: illud, si *Tonanti* ex eo quod Cusanus cum plerisque

habet *tonantis;* nam lyra *praefata* fuerat siue προοίμια cantauerat Ioui, cum is ab Orpheo hymnis celebraretur.

Pro *sonitumque ferens* Bentleius *mentemque feris* reponebat. At cum *sonum* Cusanus praestet, scripserim potius *somnumque feris*, quo pacatae saeuiorem animum deposuere. Callistratus (Ecphraseis 7, p. 30 ed. Kayser) de leonibus qui Orphea audiebant canentem, λεόντων ἄτεγκτος φύσις πρὸς τὴν ἁρμονίαν κατηυνάζετο.

V. 330

Hinc uenient uocis dotes † boreaeque sonantis

boreae Gembl. et ceteri praeter Voss.[2] ubi est *horee.* Id Is. Vossius in *aurae*, alius (Misc. Obs. Nou. i. p. 116) in *eborisque*, Heringa Obseruat. p. 71 in *choreaeque* immutabat; melius Pingraeus in *chordae*, quod non debebat Iacobus pro suo uenditare.

Ingeniose etiam illud Pingraeus quod 338 *Hic distante lyra* mutauit in *Sic dictante lyra*, ut II. 401 *Nunc foedus stellis nunc et dictantibus iras*, IV. 177 *Quasque suo dictet signo nascentibus artes.* Itaque nouum exordium facit a 340. Sed age locum totum recognoscamus.

V. 338 sqq. sic scripti sunt in Gembl.

Hic distante lyra cum pars uicesima sexta
Chelarum surget quae cornua ducet ad astra
Quod regione pari uix partes octo trahentis
Ara ferens thuris stellis imitantibus ignem
In qua deuoti quondam cecidere gigantes
Nec prius armauit uiolento fulmine dextram
Iuppiter ante deos quam constitit ipse sacerdos
Quod potius fingent ortus quam templa colentes?

338 Hinc *Lips. m. pr., Iacobus et Bechertus de M. Manil. emend. ratione p.* 60. Sic dictante lyra *Pingraeus cum antecedentibus coniungens.* 339 surgent *Voss.*[2] ducit *Voss.*[2] *Cus. Vterque uersus* 338, 9 *spurius habitus est Bentleio.* 340 Quod *Voss.*[1] Quid *Cus. Voss.*[2] pari uix *Cus. Voss.*[1] puri uix *o* pains (? pams) *Voss.*[2] regione Nepai *Scaliger* Nepae *Fayus Bentl. Fort.* Con regione. 341 mutantibus *Voss.*[2] 343 uiolenta

fulmine dextra *Voss.*[2] 345 Quod *Voss.*[1] Quid *Cus.* *o b* Quos potius fingent partus *Bentleius Fort.* ortu.

Regione pari Scaliger in *regione Nepai* correxerat ex Firmico haec testante *in prima Scorpii parte oritur Ara.* Receperunt id Bentleius et ceteri, nisi quod *nepae* praetulerunt. Nam *nepāī* disyllabum prosodia respuit, meritoque Scaligerum Bechertus reprehendit, qui huiusmodi monstrum imputarit Manilio. Neque alia desunt quae hanc coniecturam infirment: quamuis enim praecedente *regione* syllaba prima ne*pae* excidere potuerit, non uideo unde factum sit ut *pae* in *pai pari puri* pessum iret. Adde quod Firmicus non in octaua parte Scorpii facit Aram, sed in prima surgere. Et quod, nisi uu. 338, 339, spurii sunt, ut uisi sunt Bentleio, uidetur Manilius ipse sibi contradicere qui Aram u. 338 parti xxvi Chelarum, u. 340 Scorpionis parti viii adsignarit (Scaliger p. 186, ed. 1655). Sed tamen cum in toto libro V signa zodiaci continuo ordine se excipiant, iam autem dicti sint Aries Taurus Gemini Cancer Leo Virgo Libra, mox a uersu usque 358 sequantur Sagittarius Capricornus Aquarius Pisces non praetermittendus erat suo loco *Scorpius.* Atqui 339 Librae siue Chelarum pars xxvi[ta] memoratur, 340 igitur *partes octo trahens* ecquodnam aliud signum erit quam Scorpius siue Nepa? Qui nisi hoc uersu 340 nominatus est, nusquam titulum suum habet inter cetera signa zodiaci: nam 349 *Quattuor appositis Centaurus partibus effert Sidera,* significatur quidem pars xii[ma] Scorpii ($8+4=12$), nomen uero non additum est.

Quod codices tradiderunt *Quod regione,* unus *Quid regione,* plerique interrogatiue hoc positum et per alterum *Quid* 345 resumptum putant. His libenter adsentirer, nisi intelligerem *Quid* in uno Voss.[2] extare, obscurius dici *regione* pro *in regione* uel *e regione.* Itaque huc inclino ut credam in *Quod* occultari *Con,* sicut in *quod euntibus* dissimulatum *coeuntibus* uidimus II. 380. Paulus Festi p. 66 M. *conregione . e regione.* Quibus additis uerbis credo Manilium significasse spatium caeli ultra quod Ara non iam conspiceretur: quasi diceret fines eius intra xxvi[tam] partem Librae et viii[uam] Scorpionis includi.

Quod scribendum puto in 345 *Quid potius fingent ortu,* credo

pluralem *fingent* ad aram cum stellis eam figurantibus referri. I. 432 *tunc Iuppiter arae Sidera constituit, quae nunc quoque maxima fulgent.* Aliter Iacobus et fortasse uerius: 'liberius orationem struens redit ad intermissam u. 340 interrogationem: Quid ortus Arae fingent?'

'V. 349 sqq.[1]

> *Quattuor appositis Centaurus partibus effert*
> *Sidera, et ex ipso mores nascentibus addit.*
> *Aut stimulis † agit autom̄is mixtosque iugabit*
> *Semine quadrupedes, aut curru celsior ibit, etc.*

Le vers 351 est altéré. Nous avons donné la leçon du Gemblacensis; le Vossianus I et le Cusanus portent: *agit aut omnes;* le Lipsiensis: *agitavit aut om̄is* (*avi* a été exponctué et un *e* a été écrit au-dessus de l'*i* de *om̄is*); le Vossianus II: *stimuli sagitant onus.* La correction de Bentley: *Hic mulos aget aut mannos* est trop hardie; celle de Iacob: *Aut stimulis agitabit onus* est presque impossible. Je corrige: *Aut stimulis* AGET ANTE BOUES. *Aget ante* i. e. aget ante se. Cf. Verg. Georg. III. 552: *Pallida Tisiphone Morbos* AGIT ANTE *Metumque.*

Ajoutez Tibulle, I. I. 30: *Aut stimulo tardos increpuisse boues.*'

V. 354–357 sic extant in Gembl.

> Ille tenet medias artes ad membra ferarum
> Et non auditos mutarunt tollere morbos
> Hoc est artis opus non expectare gementis
> 357 Et sibi non aegros iam dudum credere corpus.

355 mutar̄ *Cus.* 356 Hac *Voss.*[2]

Olim emendarat Scaliger *medicas, mutarum:* 357, ne a Gronouio quidem sanatum, sic refinxerim *Et sibi non aegro iam dudum credere corpus,* h. e. *et aegrum corpus iam dudum non credere aegro sibi,* quae est ars medici maxima, ut iam aegrotanti prius succurrat quam relictus sibi morbus inualuerit nec medico locum sanandi praebeat. Sed rursus haereo in structura infinitiuorum,

[1] Haec ad me misit Thomasius.

quos plerique putant pendere ex *Hoc est artis opus.* Opem tulit Bentleius mutato ordine uersuum:

Hoc est artis opus non expectare gementes
Sed non auditos mutorum tollere morbos
Et sibi non aegros iam dudum credere tales.

Paucis haec uir magnus commendauerit. Tutius puto infinitiuos facere ex istis *medicas artes* per epexegesin quamdam pendentes, quam duriorem appositionis formam aliquatenus mitigatum iit poeta inserto per parenthesin (*Hoc est artis opus*),

Ille tenet medicas artes ad membra ferarum,
Et non auditos mutarum tollere morbos,
(Hoc est artis opus), non expectare gementes,
Et sibi non aegro iam dudum credere corpus.

Non absimilis locus est 371 sqq. *Mille fluent artes; aut bellum indicere mundo Et . . . uolucrem prensare Aut nidis clamare . . . Pascentemue ducere:* et quem supra tractaui 273 sqq.

V. 361–364 sic Iacobus edidit

Regalis ut opes et sacra aeraria seruent
Regnantes sub rege suo, rerumque ministri,
Tutelamque gerant populi, domibusue regendis
Praepositi, curas alieno limine claudant.

361 sancta *Gembl.* seruit *Voss.*[2] 362 regno *Voss.*[2] 363, 364 *in codd. post* 374 *scripti sunt. Reuocauit Scaliger.* 363 gerunt *codd.* gerant *Withofius.* 364 limine *Scaliger* lumine *Voss.*[2] limite *Gembl. Voss.*[1] *Cus.* claudunt *codd.* claudant *Withofius.*

Attende repetitum toties *regalis regnantes rege regendis.* Consulto uidetur factum: et sic Scholiasta Germanici Arateorum p. 88 Breysig *Typhon interficitur in templo Aegypti Memphi ubi mos fuit solio regio decorari reges qui regna ineunt.* His exemplis locum uexatissimum IV. 687 sqq. poteris fortasse sic emendare

in *regnum* florentes oris Athenae,
Sparta manu, Thebae diuis, et *rege* uel uno
Princeps illa domus Troiani *regia* belli,

nam nec *Graecia* plurimorum codicum nec *gratia* Vossiani[2] uerum potest existimari. Sensus erit: *illa domus regia* Atridarum

quae *rege uel uno* etiam si alter tantum regum, siue Agamemnon siue Menelaus, in rationem ueniret, *princeps* erat principatum tenebat *Troiani belli.* Ceterum apte illustrantur *Thebae diuis* florere dictae uerbis Sophoclis apud Dicaearchum in Descriptione Graeciae (Gail Geog. Graeci Min. ii. p. 128) Θήβας λέγεις μοι τὰς πύλαις[1] ἑπταστόμους Οὗ δὴ μόνον τίκτουσιν αἱ θνηταὶ θεούς.

V. 371–374 sic extant in Gembl.

Mille fluent artes aut bellum indicere mundo
Et medios inter uolucrem prensare meatus
    uel nidis   uel damnare
Aut nitidos clamare suis ramoue sedentem
                                  uel deicere
Pascentemue super surgentia dicere uina.

371 fluunt *Voss.*[1] *Cus.* 372 p̄ensare *Cus.* pensare *Voss.*[1] 373 nitidos clamare *Cus. Vossiani* racione *Cus.* 374 ducere *Regiom.* lina *b o Regiom.*

Ortos sub Olore describit, quibus curae sunt quae ad aues et aucupium pertinent. u. 373 *damnare* Scaliger interpretatus est exuere, spoliare, idque tuitus est ex Solin. xiv. (p. 69 Mommsen) *Philippus Macedonis Magni pater damnatus est oculo.* Sic scripsisse Manilium non credo; nec Bentleii coni. *captare* satisfacit.

Ex Aristot. H. A. ix. 131 ἐν δὲ Θρᾴκῃ τῇ καλουμένῃ ποτὲ Κεδρειπόλει ἐν τῷ ἕλει θηρεύουσιν οἱ ἄνθρωποι τὰ ὀρνίθια κοινῇ μετὰ τῶν ἱεράκων, οἱ μὲν γὰρ ἔχοντες ξύλα σοβοῦσι τὸν κάλαμον καὶ τὴν ὕλην ἵνα πέτωνται τὰ ὀρνίθια, οἱ δ' ἱέρακες ἄνωθεν ὑπερφαινόμενοι καταδιώκουσιν, intelligo moris nonnumquam fuisse aucupantibus ut uolucres ex sedibus proturbarent clamando; unde ubi euolassent, in retia incidere, et sic capi. Itaque retinendum credo *clamare,* h. e. σοβεῖν: uerba sic struenda, *clamare sedentem nidis suis ramoue.*

V. 385, 386 sic extant in Gembl.

Pascere aues gaudent ueneris et reddere † caecos
Aut certis reuocare notis,

385 ueneris gaudent *Voss.*[2] gaudent ueneris *cett.* credere campo *Bentleius* reddere caelo *Iacobus.*

Fuitne *credere caeco?* h. e. aeris spatio quod oculis exploratum

[1] Sic Salmasius pro eo quod habet codex πύλας.

non habent columbae, consulto fortasse illigatis ut experimentum fiat possintne domum reuerti. An reddere *saepto?* sc. ut saginentur.

V. 395–398 sic traditi sunt in Gembl.

At cum se patrio producet in aequore piscis
In caelumque ferens alienis finibus ibit
Quisquis est tali capiens sub tempore uitam
Litoribus ripisque suos circumferet annos.

397 Quisquis is est *Voss.*[1] Quis erit *o* Quisquis erit *b uulgo.*

Falso editores ex deterioribus codd. *erit* intulerunt. Non temere Gembl. *est*, Voss.[1] *is est* praebent. *Quisquis is est* uel *es* dictio non infrequens. Tib. ii. 2. 35 *At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido Imperat.* Ouid. Trist. iii. 11. 56 *Ad te, quisquis is es, nostra querella redit.* Ib. 9 *Quisquis is est, nam nomen adhuc utcumque tacebo.* Addito sic pronomine expressius significatur eius persona de quo sermo est. Et in Ouidianis quidem locis certus quidam uidetur respici: in Tibulliano non item, neque uero in Maniliano 'whoever the supposed man is, born into life at such a time.'

V. 402 sqq. sic scripti sunt in Gembl.

Questus naufragio petitur corpusque profundo
Immissum pariter quam praeda exequitur ipsa.

403 exquiritur *plerique* exequitur *etiam o.*

Loquitur de uenatoribus piscium et concharum, qui dum margaritas in profundo quaerunt, ipsi saepe perimuntur. *Exquiritur* Pingraeus sic interpretatus est, 'Quelquefois avec les perles on retire le corps de celui qui a péri dans cette pêche.' Creechius sic uertit 'All shall be dar'd: and they immerst shall rove Thro' Depths, despair'd, and lost to those above.' Sed unde Gembl. *exequitur?* Puto aliud quid latere, fortasse *exuerritur;* nam retibus nonnunquam includebantur conchae. Plin. H. N. ix. 111 *has urinantium cura peti, illis captis facile ceteras palantis retibus includi.* An *exugitur* (*exsugitur*)? Nam conchis abstractis mari umor et sucus quo uiuunt abripitur: urinatori, si aquis exstinctus est, exsanguinatur corpus et quasi exsugitur. (Vitruv. viii Praef.)

V. 404–406

> Nec semper tanti merces est parua laboris,
> Censibus aequantur conchae, † rapidumque notari
> Vix quisquam est locuples: oneratur terra profundo.

405 notari *Gembl. Cus. Voss.*[1] *o* notori (o *dubia*) *Voss.*[2] notori *Lips. m. pr.* 406 Vix umquam *Gembl.* secundo *Cusanus*, *num* secando?

Ingeniose Doruillius[1] ad Chariton. p. 531 locum sic refinxit: *lapidumque nitori Vix quisquam est locuples*, hac cum interpretatione 'nemo adeo diues iam est, ut margaritas et gemmas possit emere, terrae non habent tantum auri et argenti in suis uisceribus, ut pretia gemmarum et bacarum, ex maris profundo protractarum, adaequent.' Simplicius tamen sic poterat: interdum magnam mercedem laboris sui urinatores auferunt, dum margaritas tollunt adeo ingentis pretii ut totis censibus aequentur (equalling in value an entire income), cum gemmarum sumptus ac pretia ne locupletissimus quidem adaequare possit. Restat tamen dubitatio num sic dicturus poeta fuerit. Suspicor *notari* ex *notanti* deprauatum esse, *rapidum* ex *lapidem*: lapidem notanti nemo est locuples, h. e. si quis pretia bacarum expenderit, neminem locupletem existimabit.

Mox quod in Cus. inueni *secundo* uidetur esse *secando*: gemmae enim fila poliebantur, ut topazi Plin. xxxvii. 109: sententia erit: tantus erit prouentus gemmarum ex mari ut terra impar sit labori eas poliendi. Sed multo melius Gembl. *profundo*.

V. 420–422 sic extant in Gembl.

> Nam uelut ipse citis perlabitur aequora pennis
> Nunc summum scindens pelagus, nunc alta profundi
> Et senibus uires sumit fructumque figurat.

Mire hic errori codicum obuiam it Voss.[2] qui post exaratum in loco suo u. 422 *Et senibus uires sumet fluctumque figurat* eiusdem primam partem post 425 coniunctam cum fine 424 hoc modo iterauit

> Et seniby uire sonabit aqua nunc equore mersas,

[1] Idem ante Doruillium Withofius in ora editionis suae adnotarat anno, ut uidetur, 1717 (Iacobus Praef. xv).

hii
h. e. *Et senibii:* fuerat nempe dittographia *senibus.* Hinc refingo *Et sine ui uires sumit* 'assumes strength without effort,' quod ad delphinorum saltus repente et quasi sponte, saepe ex imo mari, tanta ui exsilientium ut plerumque uela nauium transuolent (Plin. H. N. ix. 21) gratissimo ὀξυμώρῳ refertur. Cf. Verg. Aen. xi. 750 *uim uiribus exit.* Mox *fructumque* uidetur deprauatum esse ex *fluctumque* quod Voss.[2] et *b* et *o* habent: nam *ructumque,* quod olim mihi in mentem uenerat, quanquam efflatum per nares delphini spiritum satis apte potuit exprimere, cf. Ouid. M. iii. 686 *acceptum patulis mare naribus efflant,* uix satis dignitati carminis congruere intelligo.

V. 425–427 sic extant in Gembl.

nunc aequore mersas
Deducet palmas furtiuo remus (*prius* remis) in ipso
Nunc in aquas rectus ueniet passumque notabit.

426 Dicutet *Voss.*[2], *an* Discutiet? furtiuo *codices* furtiuus *Bentleius* remus *etiam b et sic Bentl.; idemque placuit Becherto* remis *Gembl. m. pr., Vossiani Cus. o, unde Iacobus edidit* remes. *Gloss. Bodl. Auct. T.* 2. 24 Remes . remigator, *quod idem ex Gloss. Sangallensi* 912 *edidit Mintonus Warren, ex Gloss.* Abavus *Goetzius Corp. Gloss. iv. p.* 386. 427 passimque *Voss.*[1] *b o* notabit *Cus. o Geuartius Elect.* i. 5 notauit *Voss.*[2] natabit *Voss.*[1] *b.*

u. 426 primus Geuartius Elect. i. 5 interpretatus est recte, nisi quod *Deducet, furtiuo* retinuit, cum aperte uitiata essent ex *Diducet, furtiuos.* 'Remi uicem subiturus est in seipso iam latenti atque abdito sub undis. Corpus enim natantis instar nauis est: brachia instar remorum. Simillimus locus est Musaei Poetae elegantissimi de Leandro natante: Αὐτὸς ἐὼν ἐρέτης, αὐτόστολος, αὐτόματος νῆυς . . . Sic auctor Epistolae Leandri: *Cum patietur hyems, remis ego corporis utar.* Et noster Statius de eodem Leandro non absimiliter in Epithalam. Stellae *Vidi et Abydeni iuuenis certantia remis Brachia.*'

Quod Iacobus, codices secutus antiquos et ipsius Gembl. primam manum *remis,* in eodem uersu edidit *remes,* poterat id quidem tutari ex Glossis quas supra citaui: nam in his *remes*

recte traditum credo, non uitiose pro eo quod scribendum fuerat *remex*. Sed neque in ullo bono scriptore id uocabulum inueni, nec facile dicas cur non potius Manilius scripserit

remex furtiuos in ipso.

Itaque Geuartium potius sequor, ita tamen ut latentem rear dici non ipsum natatorem, sed remum, cui comparatur.

u. 427 natator describitur rectus in aquam ingrediens et quasi spatians; est enim '*passum notare*, natatu passum referre et exprimere et in aquis uelut in campo erecte ambulantis speciem repraesentare' Geuartius: 'nos dicimus: wassertreten,' Iacobus, scripto tamen *passumque natabit*, duriore structura accusatiui.

V. 429–432 sic extant in Gembl.

Aut immota ferens in tergus membra latusque
Non onerabit aquas summisque accumbet in undis
Pendebitque super tutum sine remige uotum est
Illis in ponto iocundum est quaerere pontum.

431 totum *Voss.*[1] *Cus.* uotum est *Voss.*[1] *Cus.* Pendebitque pretotum sine remigere uetum est *Voss.*[2]

Bentleius edidit *totum sine remige uelum est*, Iacobus *tantum sine remige uelum*, omisso *est*, fortasse recte: sed non erat cur *totum* loco cederet. Scripserim *totum sine remige uelum* 'a totality of sail without oar.' Vide quae ad Catull. xiii. 14 adnotaui. Optime Bentleius 'ut supra u. 425 (426) erat remus furtiuus, ita nunc contra diuerso natandi modo, uelum est sine remo.'

432 *Illis in ponto iocundum est quaerere pontum* Gronouius Obseruat. ii. 11 sic explicat 'In ponto quaerere pontum est ita uersari in ponto, quasi hic pontus non esset, sed absconderetur interius, quo mersi natant. Cicero in Verrinis (iii. 18. 47) *sic erat deformis atque horridus* (*campus Leontinus*) *ut in media*[1] *Siciliae parte Siciliam quaereres*. Florus lib. I. cap. xvi *ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur*[2].'

[1] Sic Gronouius: codices *uberrima—quaereremus*.

[2] Paucis placebit Carrionis inuentum Antiq. Lect. ii. 18 *Pendebitque super tutum sine remige. uotum est Illis in ponto. iocundum est quaerere pontum*. Haec Carrio anno 1576 tribus annis ante Scaligeri ed. 1, in qua eadem est distinctio uersuum, sed *tutus* non *tutum*. Melius potuit scribi

V. 437–438 sic extant in Gembl.

Pars ex diuerso studet et sociatur utrunque
Ingenus atque uno digestum semine surgit.

437 studet et *Cus. Voss.*[1] *b o* studium *om.* et *Voss.*[2] 438 Ingenus *Cus. Vossiani b* Ingenis *o* imo *Voss.*[1] aque *Bentleius et Marklandus ad Stat. S. p.* 216 *ed. Sillig.*

Optime Marklandus,

'Par ex diuerso studium, et sociatur utrumque
In genus, aque uno digestum semine surgit

ita legendum puto.'

V. 445, 446 sic extant in Gembl.

Delphinumque suos per inane natantia motus
Et uiduata uolant pennis et in aere ludunt.

445 natantia *Voss.*[1] *Cus. b o* natanta *Voss.*[2] imitantia *Scaliger* notantia *ego.* 446 pinnis *Voss.*[2]

Repone

Delphinumque suo per inane notantia motus,

h. e. membra suo motu exprimentia delphinum motus. Plerumque *suo motu* editur.

V. 450 sqq. sic sunt in Gembl.

Sed regione means Cepheus umentis Aquari
Non dabit illusum mores facit ora seuerae
Frontis ac uultus componit pondere mentes.

451 in lusum *plerique* seuerare *Voss.*[2] manere *Voss.*[1] *b o. Num* minere? *Lucr.* vi. 1195 frons tenta minebat, *sic enim scribendum docui in Diario Philol. Cantabrig.* T. ii. p. 223. 452 Frontisque *b o ex interpolatione* condere *Voss.*[2] facit ora seuera. Frontis ac uultus componit pondere mentis *Scaliger.*

Mirum est illud *manere* quod est in *Voss.*[1] *b o:* nam *minere* bis Lucretius uidetur usurpasse de re prominente et quasi promittente ruinam. Libet adferre quae ad Lucr. vi. 563 scripsi anno 1869: '*Inclinata minent* is retained by Lambinus, and

Pendebitque super, totus sine remige. Votum est Illis in ponto, iocundum est quaerere pontum. Sed nullus dubito coniungenda esse *in ponto* et *quaerere pontum:* quo concesso corruit illa Carrionis et Scaligeri, alioqui uix satis se commendatura, distinctio.

I think rightly; it recurs perhaps in 1195 *frons tenta mebat*, i.e. *minebat*, the IN having fallen out from its looking like another M. The meaning is shown in the compound *imminere*, "to hang over," a word very expressive either of the upper part of a house bulging out and appearing on the point to fall, or of a brow heavy and overhanging the rest of the face, as in severe illness.' Hoc recepto, cetera ad Scaligeri mentem scribas:

facit ora minere:
Frontis ac uultus componit pondere mentis.

Sed cum *seuerae* praestent Gembl. et Lips., *seuerare* Voss.[2], multo ueri similius est Manilium scripisse

facit ora seuerae
Frontis, *et a* uultus componit pondere mentis.

V. 455 sqq. sic sunt in Gembl.

Tutorisue supercilium patruiue rigorem
Component teneros etiam qui nutriat annos
Et dominum dominis praetexta lege sequatur
Quodque agit id credat stupefactus imagine iuris.

455 Tutorisque *Voss.*[2] patruiue '*post* i *una litt. eras.*' *Thomasius. Fuerat* patruique. 457 dominus *plerique* praetexta *etiam Voss.*[1] praetextae *o b cum plerisque.* 458 agat *plerique.*

Gronouius Obseru. ii. 11 'ita interpretamur: Qui dominus dominum sequatur, et quod agit, quod gerit imperium, quem mimum domini; id credat, id se habere reuera, eum se esse opinari possit, deceptus et blandiens sibi imagine potestatis, quae ei mandata est.' Hoc recepit Bentleius. Nimirum *id credat* nullo modo potest ad *iuris* referri, quod artissime cum *imagine* cohaeret, sed est i. q. uerum credat esse siue uere agi, nec simulacrum tantum esse potestatis, sed ueram potestatem. 'A care-taker who attends his young master (*dominum*) with the authority of a master (*dominus*) and believes that his acts of assumed rule are a reality, bewildered by the counterfeit jurisdiction he exercises.'

V. 461–465 sic scripti sunt in Gembl.

Nec minus haec scelerum facie rerumque tumultu
Gaudebunt atri luxum memorare sepulchri
Luctantemque patrem nato solemque reuersum
Et caecum sine sole diem thebana iuuabit
Dicere bella uteri mixtumque in fratre parentem.

461 haec *Voss.*[2] *et Lips. teste Iacobo* et *Voss.*[1] *o b* hac *Iacobus.* 462 aure *Voss.*[2] atri *cett.* luxum *Vossiani, Cus. Lips.* luctum *b o* sepulchri *Voss.*[1] *Cus. et corr. Lips.* sepulchra *Voss.*[2] *et Lips. m.pr.* 463 Ructantemque p. natos *codices plerique.* 464 titana *Voss.*[1] tithana *Cus.* tibana *o.*

Describuntur nati oriente Cepheo, in his scriptores tragoediarum. Tum commemorat harum argumenta, Thyestae cenam qua suos natos uorauit, quam perhorrescens sol, ne pollueretur, aufugit (Hyg. Fab. 258); bellum quod inter se gesserunt Eteocles et Polynices ab incesto usque matris utero sibi inuicem infensi, Oedipum matri suae iunctum conubio ut frater natis euaderet. Vnum est quod dubitari possit, uerba *atri luxum memorare*
i
sepulchra ad Antigonam an ad Atreum et Thyesten pertineant. Illud Scaliger, hoc Bentleius opinatus est. Non multum ad hanc rem prodest quod Manilius exordio libri III ubi similia tractauit, primum septem ducum bellum ad Thebas, deinde Oedipodis incestum, tertio Thyestae cenam enarrauit (15–19), de Antigona nihil dixit. Nec longe abest a traditis litteris codicum uerba sic refingere

Gaudebunt: *fr*atri *c*lus*a*m memorare sepulchro,

ut Antigona significetur sepulchro inclusa ne frater sepulchro careret. Sed tamen saepius locum consideranti uerior mihi uidetur Iacobi emendatio *Atrei,* et hoc magis quod ne in *aure* quidem quod habet Voss.[2] quicquam proditur quod amissas
atri
ante *a* litteras testetur. Fuit, nisi fallor, *aure luxum, atrei elixum:* quam quidem fabulam Bentleius innuit cum uerba sic refingeret *uiui bustum memorare sepulchri,* Thyesten indicans qui dum natos comedit quasi ἔμψυχος τάφος eis factus est. Et

hoc modo interpretor *sepulchris* (sic enim scripserim): memorabunt *elixum Atrei sepulchris* sc. eum quem pater Atreus coxit ut Thyestae adponeret epulandum et in uentre sepeliendum. Sic Attius dixerat de Thyeste apud Cic. de Off. i. 28. 97 *natis sepulchro ipse est parens:* sic Seneca ludens in hac crudeli sepultura postquam Thyesten induxit orantem ut natos sepelire posset, Thy. 1025 sqq. *non peto incolumes pater Natos ut habeam: scelere quod saluo dari Odioque possit, frater hoc fratrem rogo, Sepelire liceat;* Atreum haec fecit respondentem 1034 *Epulatus ipse es inpia natos dape.* Denique Thyestes huiusmodi sepulchrum in suo corpore respiciens 1090 *si natos pater Humare et igni tradere extremo uolo, Ego sum cremandus.* Et sic Agam. 26, 27 *liberis plenus meis In me sepultis uiscera exedi mea.*

Sed quod diu me fugerat, uerum puto seruasse Gembl. etiam in illis *Luctantemque patrem nato.* Quamuis enim Seneca de eiusdem Thyestae cena dixerit 909, 910 *Resupinus ipse purpura atque auro incubat Vino grauatum fulciens laeua caput, Eructat,* est alius locus huius tragoediae qui uerba Manilii ita prope ad uerbum expresserit ut aut ab hoc ductus sit aut ad communem aliquem fontem, fortasse Euripidem, et Manilius et Seneca redeant. Sic enim Thyestes 1040 *Hoc est quod auidus capere non potuit pater. Voluuntur intus uiscera et clusum nefas Sine exitu luctatur et quaerit uiam.* Videlicet luctatur comedenti filius, et intra uiscera acceptus carcerem respuit et quaerit uiam exeundi.

Erunt tamen quibus probabilior uideatur altera lectio quamuis recentiorum codicum, *Ructantemque patrem natos*, eoque magis quia *titana*, non *thebana*, uel ut est in codice Collegii Corporis Christi *tibana*, habeant in 464:

> Ructantemque patrem natos solemque reuersum
> Et caecum sine sole diem titana iuuabit
> Dicere bella uteri mixtumque in fratre parentem.

Saepius in hoc Atrei facinore *Titan* solis partes agit. Sen. Ag. 908 *stat ecce Titan dubius emerito die Suane currat an Thyestea*

uia. Thy. 784 *uerterit currus licet, Sibi ipse Titan obuium ducens iter.* 1095 *nil, Titan, queror Si perseueras.* Nemes. Cyneg. 39, 40 ubi trita poetis argumenta recenset *Tandalidum casus et sparsas sanguine mensas Condentemque caput uisis Titana Mycenis.*

Potuit igitur et Manilius *Titana* hic inducere: nec sequentia *iuuabit Dicere bella uteri* non satis explicantur ex adnexis *mixtumque in fratre parentem.*

Quid igitur? utrum uitium traxit? *sine sole*, an *diem?* si *diem* uere traditum est (cf. III. 20 *Ereptumque diem* quod de eodem hoc facinore dixit Manilius), in illis *sine sole* credas latere infinitiuum, uelut *summosse* (*sūmose*). Stat. Th. i. 325 *Et caligantes abrepto sole Mycenas*, ubi Placidus *abrepto sole dixit subducto lumine et a cursu suo reuocato.*

Bentleius et Marklandus *sine sole* uitiatum et pro eo reponendum *sine luce* crediderunt. Ego potius *sine nocte* uel *sine nube* reposuerim, ut caecus Titan diceretur, quamuis causa non esset tenebrarum, locutione uere Maniliana. V. 549 *sine funere funus.* Sen. Ag. 184 *sine hoste uictus.* Saluian. de Gubern. Dei i. 42 *ingreditur heremum uictrix sine bello gens Hebraeorum, agit iter sine itinere, uiatrix sine uia.*

Et fauet quodammodo Placidus ad Stat. Th. iv. 307 *Funereae tum namque dapes mediique recursus Solis* haec adnotans, *ideo funeratas dapes propter epulas et recursum solis et* (et *om. codd. Monacenses*[1]) *propter offensam affabilis*, (effabilis a *sup. scr.* 2 *manu cod. Monac. Lat.* 19482) *dei quia* (qui *codd. Monacenses*) *inter nulla nubila pietate tanta egit occasum.*

Vnde haec Placidus? credo a Graeco fonte, fortasse ex Euripide. Vndecumque fluxerunt, illa *inter nulla nubila pietate tanta egit occasum,* mire ad Manilii uersum apta sunt. Nam *diem* in *pie* refingere et litterarum ductibus et sermonis proprietati satisfacit. Verg. Aen. ii. 535 sqq. *Di, si qua est caelo pietas, quae talia curet, Persoluant grates dignas et praemia*

[1] Hunc locum ex duobus codicibus Monacensibus lat. 6396 et 19482 exscripsit mihi Eduardus Wölfflin.

reddant Debita, qui nati coram me cernere letum Fecisti et patrios foedasti funere uultus. Epist. Sapphus 151 (153) *Sola uirum non ulta pie maestissima mater Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.*

Itaque, si Gembl. repudiato uersus secundum Cusanum et Vossianos scripseris, tales euadent

Ructantemque patrem natos, solemque reuersum
Et caecum sine nube pie Titana: iuuabit
Dicere bella uteri mixtumque in fratre parentem

V. 468

Aeriamque fugam † nectosque ex ignibus annos

nectosque Gembl. Cus. *uectosque* Voss.[1] *uotosque* Voss.[2]

Iniuria Huetius negauit significari hic Aesonis in aeno coctionem, quae aeriam fugam Medeae diu praecesserit. Non tam exacte dicit Manilius. Nam etiam uu. 466, 467

Quaerent Medeae natos fratremque patremque,
Hinc uestis, illinc flammas pro munere missas,

uerum ordinem rerum inuertit, cum primum prodiderit patrem Aeeten Medea, dein fratrem Absyrtum laniauerit, tertio Creusam ueste uenenata cremauerit, postremo filios trucidauerit. Eadem permixtio rerum III. 8 sqq.

Colchida nec referam uendentem regna parentis
Et lacerum fratrem stupro, segetesque uirorum,
Taurorumque truces flammas, uigilemque draconem,
Et reduces annos, auroque incendia facta,
Et male conceptos partus peiusque necatos,

in quibus *reduces annos*, ut olim notauit Reinesius, idem significat quod hic *annos*. Praeiuerat Ouidius loco nobili de Medea M. vii. 168 *Deme meis annis et demptos adde parenti.* 215 *per quos renouata senectus In florem redeat primosque recolligat annos.* 237 *Et tamen annosae pellem posuere senectae.* 292 *Aeson miratur et olim Ante quater denos hunc se reminiscitur annos.*

Potest igitur id quod est in Voss.[1], *uectos ex ignibus annos*, sic defendi ut significet iuuentutem ex coctione aeni receptam, *uectos* ut sit adlatos et magica arte reportatos; et sic iam Stoeberus

locum interpretatus est. Sed cum alii codices *nectos* uel *uotos* praestent, pro quo Reinesius *tractos*, Iacobus *natos*, scribebat, ipse anno 1886 in Diario Philolog. Cantabrigiensi Tom. xv. p. 2 conieci *uictos*, sc. senectutem igne aeni uictam et ex eo iuuenescentem. Sic Ouidius de eadem Medea arietem uetulum incoquente M. vii. 318 *Cornuaque exurunt nec non cum cornibus annos, Et tener auditur medio balatus aeno.* Hoc si recte conieci, *ex* non est pro *ab* positum, sed poeta significat senectutem in aeno mersam inde uictam flammis et mutatam recipi.

[*pactos* Breiterus ex M. vii. 307 *Iamque petunt* (*Peliades*) *pretiumque iubent sine fine p a c i s c i.*]

V. 476, 477

Doctior urbe sua linguae sub flore Menander
Qui uita ostendit uitam cartisque sacrauit.

476 Doctor *Gembl.* orbe *Vossiani Cus.* suę *Voss.*[1] frore *Voss.*[2] 477 uitae *Scaliger et Reinesius* carusque *Gembl. Cus. Vossiani* cartisque *Scaliger.*

Non est cur *uitae* scribatur. Menander per uitam quam in scaena exhibebat ostendit qualis esset uita saeculi sui.

V. 478–480

Et si tanta operum uires commenta negarint
Hesternis tamen actus erit nunc uoce poetis
Nunc † tanto gestu.

479 actus *Gembl. et plerique* aptus *b o Voss.*[1] 480 tacito *Voss.*[2] *b* Nunc tantiro gustu refertque affatibus ora *o* fatuo gestu *ipse olim.*

In Gembl. super *tanto* m. pr. scripserat *uel tum*, Thomasio teste. Magna laus hic est Carrionis qui Antiq. Lect. ii. 18 emendauit *tacito*, quod multis post annis iterum reuocauit Bentleius ex Voss.[2] et post Bentleium Iacobus, nulla Carrionis facta mentione, nec a Iacobo nec a Bentleio.

V. 483, 484

Aut magnos heroas aget scaenisque † togatus
Omnis fortunae uultum per membra reducet.

Scribe *togatis* siue Romana argumenta tractantibus.

V. 487 sqq. sic extant in Gembl.

Nunc aquilae sidus referam quae parte sinistra
Portantis iuuenis quae terris sustulit ipsa
Fertur et externis praedam circumuolat / alis
Fulmina missa refert et caelo militat alis.

Hi uersus absunt a Voss.[2] 488 Rorantis *Voss.*[1] *Cus.* Rotantis[r] *Lips.* quem *Voss.*[1] *Cus.* sustulit, ipsa *Molinius.* 489 *Fort.* aeternis. '*Post uoc.* circumuolat *una litt.*, *ut uidetur*, *erasa est* (*fort. scriptum fuerat* circumuolat talis)' *Thomasius* astris[alis] *Cus.* astris *Voss.*[1] extentis alis *Molinius quem uulgo secuntur.* 490 ales *Molinius.*

Vitium traxit hic Gembl., nam nec *Portantis* nec *quae* recte tradidit: uera sunt *Rorantis*, *quem:* Aquarium dicit poeta. Nec uero in 489 recte traditum est in Gembl. *externis / alis*, si quidem 490 idem uocabulum *alis* claudit: adde quod *externis alis* sensu caret, *hesternis* uix apte dicitur de re quae diu ante acta fuerat. Scribendum puto *aeternis astris*, hoc quidem ex Voss.[1] et Cusano : *aeternis* opponitur tempori quo Ganymeden aquila e terra rapuerat; fuit facinus, manet facinoris monimentum in astris. Sic de Capella Manilius I. 369 *Hanc ergo aeternis merito sacrauit in astris Iuppiter.* II. 83 *Ducit ab aeternis terrena animalia signis.* Praeiuerat Aratus de Lepore dicens 338 Λαγωὸς Ἐμμενὲς ἤματα πάντα διώκεται.

V. 507

Artifices auri faciet, qui mille figuris
Vertere opus possint † carnique adquirere dotem
Materiae et lapidum uiuos miscere colores.

Codicum scripturam sic interpretor: ad carnem adornandam adsciscere *materiae* (gemmarum uel auri) *dotem*, h. e. opem qua magis placeat. Erunt qui Marklandi praeferant interpretationem *carnisque* scribentis, sc. materiae unde statuae fiunt uirtutem carnis addere, ut carneae ac uiuae, non ligneae uel marmoreae uideantur. Nihil habet quo commendetur de Rooyi coniectura *artisque* (Spicileg. p. 107): melius Iacobus et ante cum uir doctus in Misc. Obseruat. Nou. i. p. 117 *tornique.*

V. 512 sic traditus est in Gembl.

Gemmarumque vib radiantes lucibus ignes.

Pro *vib* quod habet Gembl., *iuli* Lips. et *o*, *uili* Cus., *nili* Voss.[1], exhibent. Voss.[2] uocabulum cum sequente contraxit in *abradientes*. Bentleius correxit *iubar;* at si Gemblacensem et Voss.[1] sequimur, *vib* uel *uib* potius quam *iub* praestantes, fuerat potius *uibrant*, cuius litterae *rāt* facile ante *rad* poterant excidere. Mart. Capell. i. 75 *Tres erant a fronte gemmae, quae eius effigiem reuerendam a cognitione conspicientium uibrantibus radiorum fulgoribus occulebant.*

V. 513–514 sic extant in Gembl.

Hinc Pompeia manent ueteris monumenta triumphi
Non extincta lues semperque recentia flammis.

Credo *lue*, cui *s* ex proximo *semperque* adhaesit. Et sic uideo Breiterum iudicasse, cum *luĕ* quidem apud Val. Flac. iv. 529 *Interea Minyae pulsa lue prima tonanti Sacra* legatur correptum, *lue* uero eodem iure potuerit Manilius scribere quo *famē* Vergilius Aen. vi. 421 atque alii. An fuit *rue?* quod uocabulum potius quam *luis* uidetur restituendum Ammiano Marcellino xxx. 2. 11 *solebat dirae ruis ritu grassari per omnia*. Gloss. Sangall. ed. Warren *rues ruina*. Vide quae de hoc disserui in Diar. Philol. Cantabr. T. xv. p. 2, et nuper Nettleshipius in libro *Contributions to Latin Lexicography*, p. 580.

Locum recte uidetur Woltjer p. 24 interpretatus de auro et gemmis quas Pompeius tertio triumpho transtulit, secundum Plin. H. N. xxxvii. 12. *Victoria illa Pompei primum ad margaritas gemmasque mores inclinauit. Id uti planius noscatur, uerba ipsa ex ipsius Pompei triumphorum actis subiciam. Ergo tertio triumpho, quem de piratis, Asia, Ponto gentibusque et regibus in septumo uolumine operis huius indicatis M. Pisone M. Messala consulibus pridie kalend. Octobris natali suo egit, transtulit alueum cum tesseris lusorium e gemmis duabus latum pedes tris, longum pedes quattuor, et, ne quis effetas res dubitet nulla gemmarum magnitudine hodie prope ad hanc amplitudinem accedente, in eo fuit luna aurea pondo XXX—, lectos tricliniaris tris, uasa ex auro et gemmis abacorum nouem, signa aurea tria Mineruae, Martis, Apollinis, coronas ex mar-*

garitis triginta tris, montem aureum quadratum cum ceruis et leonibus et pomis omnis generis circumdata uite aurea, musaeum ex margaritis in cuius fastigio horologium. Erat et imago Cn. Pompei e margaritis, illa relicino honore grata, illius probi oris ueneran-dique per cunctas gentis, illa, inquam, ex margaritis, seueritate uicta et ueriore luxuriae triumpho. Numquam profecto inter illos uiros durasset cognomen Magni, si prima uictoria sic trium-phasset! e margaritis, Magne, tam prodiga re et feminis reperta, quas gerere te fas non sit, hinc fieri tuos uoltus? sic te pretiosum uideri? non ergo illa tua similior est imago quam Pyrenaei iugis inposuisti?

V. 520 sqq. sic traditi sunt in Gembl. et reliquis

Quid potius matrona uelit tractare creatos
Quam factum reuocare suos quod possit ad usus?
Ac ne materies tali sub munere desit
Quaerere sub terris aurum furtoque latentem
Naturam eruere † orbemque inuertere † praedae
Imperat.

Hunc locum difficillimum sic nunc interpretor, paulo secus ac prius in Diar. Philol. Cantabrigiensi xv. p. 3 intellexeram. *Quid matrona* qualis erat Cassiope *potius tractare uelit* trac-tandos sibi potius sumat *creatos* lapides ea condicione qua eos natura creauit *quam quod* quam aliquid quod *possit factum* manu factum et arte expolitum *reuocare suos ad usus* ad lenocinia formae adhibere? Atque eadem Cassiope, *ne desit materies* substantia *tali sub munere* tali dono comes, iubet *Quaerere sub terris aurum et furto* more furantis quae sua non sunt *eruere naturam* omnem *atque orbem* terrae *interuertere* spoliare *praedae* in praedae usus.

Hic quod non ut post Geuartium plerique et Bentleius *creatos* interpretor creatos se siue suo sidere h. e. natos sub Cassiopa, rebar sic opponi inter se *creatos* (lapides), *factum*, ut natura creata arte factis. Sic Cicero de Orat. ii. 54. 219 artem opponens naturae dicit *natura fingit homines et creat imitatores et narratores facetos et uultu adiuuante et uoce et ipso genere sermonis; tum uero in hoc altero dicacitatis quid habet*

ars loci? Nam *factum* pro eo quod planius *arte factum* dicitur idem Cicero in eodem libro usurpauit de Orat. iii. 48. 184 *orationem quae quidem sit polita atque facta quodammodo.* Et sic Horatius *naturam* Lucili rudem et incompositam *factis arte* uersibus opposuit S. i. 10. 37 *num illius, num rerum dura negauit Versiculos natura magis factos et euntis Mollius.* Deinde intelligebam insolentius mutari orationem ex plurali *creatos* ad singulare *possit* sc. matrona.

u. 524 Scaliger ex coniectura scripsit *Naturam eruere omnem orbemque inuertere praedae*, suffragantibus et ceteris et Bentleio. Solus Barthius grauatus id recipere quod in nullo extaret codice, scribebat pessumdato metro *Naturam eruere orbemque interuertere praeda:* cuius inuentum *interuertere* ita admisi ut staret hexameter, *N. eruere atque orbem interuertere praedae.*

V. 529, 530 sic extant in Gembl.

> Protulit ut legeret census spumantis in aurum
> Et perlucentes cuperet prensare lapillos.

529 Partulit *o b.* 530 prensare *Voss.*[2] *o* p̄sare *Cus.* pensare *Voss.*[1]

Haec sic correxi in Diar. Philol. Cantabrig. l. c.

> Protulit ut legeret census summatis in aure
> Et perlucentes cuperet pensare lapillos.

Protulit Cassiope produxit in tantum peritiae sub suo sidere ortum *ut legeret in aure summatis* aestimaret ex pretio gemmarum quas in auribus matrona primaria gestabat *census* quam diues esset: 'skilful enough to read at a glance the income of a noble lady in her earrings,' Sen. de rem. fortuitorum *Duc bene institutam, non maternis inquinatam uitiis, non cuius auriculis utrimque patrimonia bina dependeant.* Dial. vii. 17. 2 *quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit?* Prop. iii. 13. 11, 12 *Matrona incedit census induta nepotum, Et spolia obprobrii nostra per ora trahit.*

V. 546, 547 de Andromeda loquens poeta dicit, quemadmodum traditum est in Gembl.

> Hic himeneus erat solaque publica dampna
> Pro natis lacrimans ornatur uictima paena.

546 solaque in *Vossiani Cus. o b.* 547 Pro natis *Voss.*[1] *o b* Priuatis *Voss.*[2] Primatis *Lips.*

Bentleius sic corrigebat

Hic Hymenaeus erat, solataque publica damna
Priuatis, lacrimans ornatur uictima poenae.

Andromeda solata est publica damna priuatis siue suo, idque ut fiat tanquam hostia ornatur in supplicium. Valde miror Breiterum haec repudiasse, corruptum *Pro natis* reuocasse, *solataque* passiue intellexisse. Nec Iacobi placet emendatio

Hic hymenaeus erat, solari publica damna
Priuatis; lacrimans ornatur uictima poenae.

Tamen quod uenit mihi in mentem primo legenti, ne nunc quidem prorsus abicio, ex *solaque* uel *solaque in* reponere *solatae.*

Hic hymenaeus erat solatae publica damna
Priuatis: lacrimans ornatur uictima poenae.

V. 554–556 sic extant in Gembl. et ceteris

Seruatur tamen in poena (paena *Gembl.*) uultusque pudorque
Supplicia ipsa decent niuea ceruice reclinis
Molliter ipsa suae custos est ipsa figurae.

u. 556 *est ipsa* uitiose codices pro *est uisa.* Pari errore in Stat. Sil. i. 3. 9 *Ipsa manu tenera tectum scripsisse Voluptas* scribendum est *Visa* quod habet ed. Gryphiana. Etiam Mart. xiv. 196. 2 *Ipsa, Visa* utraque in codicibus leguntur.

V. 585, 586 sic traditi sunt in Gembl. et plerisque

Hinc uastis urgent immensis torquibus orbes
Tergaque consumunt pelagus.

585 uasti surgent *Voss.*[2] uasti turgent *o b Regiom.*
Recte reduxerunt *uasti turgent* Iacobus et ante eum Molinius in ed. Lugdunensi 1551, et Stoeberus, hic tamen male interpretatus *torquibus* tanquam esset 'tortis fluctibus in torquium morem.' Significantur uastae conuolutiones colli et corporis beluae quae quasi in seriem torquium alia post aliam se explicant. Sic postea 597 *tortis innitens orbibus alte Emicat.* I. 433 *Quam propter*

cetus conuoluens squamea terga Orbibus insurgit tortis et fluctuat aluo.

V. 590 sqq.

> Cum tua fata cauis e rupibus ipsa uideres
> Adnantemque tibi poenam pelagusque ferentem,
> Quantula praeda maris! † quantis hic subuolat † undis
> Perseus et caelo pendens iaculatur in hostem.

quantis Gembl. Vossiani ambo et Cus. *undis* Gembl. *alis* plerique codices. Emendarunt *plausis* Bentleius, *quassis* Iacobus. Malim *plantis hic subuolat ales Perseus.* Sic enim innuit *talaribus* subuectum Persea, id quod ipso uerbo usus Ouidius dicit, fabulam Andromedae narrans Met. iv. 730.

V. 599

> Sed quantum illa subit semper iaculata profundo.

Gronouius Obseru. ii. 11 'Quis non uideat legendum: *semet iaculata?*' Non uidit Iacobus, qui *spumam eiaculata*, nescio qua peruersitate ductus, praetulit. Atqui saepenumero usus est uocabulo *semet* Manilius, nec quidquam uersui aptius inueneris.

V. 609, 610 sic extant in Gembl.

> Tandem confossis subsedit belua menbris
> Plena maris summasque iterum renauit ad undas.

610 summasque iterum *Lips. Cus. Voss.*[2] summas iterumque *Voss.*[1] regnauit *Voss.*[2] *et Lips. sed hic inducta* g. remeauit *Withofius* renatauit *Breiterus An* reptauit?

Reptare proprium de serpentibus et beluis. Stat. Theb. iii. 289 *Veneris quod filia longum Reptat et Illyricas eiectat uirus in herbas.* Claudian. de Cons. Stilich. 171 *Epidaurius hospes Reptauit placido tractu, uectumque per undas Insula Paeonium texit Tiberina draconem.*

V. 630, 631 sic extant in Gembl.

> Vinctorum dominus sociusque in parte catenae
> Interdum paenis innoxia corpora seruat.

noxia *Lips. cum Voss.*[2] seruet *Voss.*[2]

Fueratne *non noxia?* Certe melius sic se habet *Interdum.*

V. 632–634 sic extant in Gembl.

Piscibus exortis cum pars uicesima prima
Signato terrae lumen fulgebit et orbi
Aerius nascetur equus caeloque uolabit.

632 Signato *Lips.* signatum *Voss.*[1] *Cus. o* signauit *Voss.*[2] terrae lumen *Voss.*[1] *o* terra elimen *Voss.*[2]

Bentleius Voss.[2] secutus u. 632 sic edidit

Signabit terrae limen, fulgebit et orbi

'hoc est, stringet lineam horizontalem. Sic I. 581 (582 Iacob) *Proximus hunc ultra, brumalis nomine gaudens, Vltima* designat *fugientis* limina *solis.*' Sed haereo in eo quod ceteri codices *signatum* uel *signato* habent, quod uix poterat ex *signabit* prouenire. Itaque haud scio an non Stoebero potius adsentiendum sit reuocanti *Signatum terrae lumen fulgebit et orbi*, quod dederat Scaliger in ed. 1. Hoc Huetius sic explicat: '*Signatum terrae lumen* hoc est lumen in Horizonte signatum et notatum. Cum gradus uicesimus primus attigerit Horizontem in eoque fulgebit.' Et *lumen* quidem est in Gembl. et Voss.[1], *limen* praestant Lips. m. pr. et Voss.[2] Hoc praetulerim; *cum pars uicesima prima fulgebit signatum limen terrae et orbi* caeli siue caelo, h. e. cum 21us gradus Piscium fulgore suo signabit confinium tenebrarum et lucis ex Oceano elatus et in conspectum prodiens. Itaque *limen signatum* dicitur designatio puncti horizontis ubi incipit, 'when the 21st degree shines a mark on the horizon.'

V. 646–648

Nixa genu species et graio nomine dicta
Et comas inguicola uides sub origine constat
Dextra per extremos attollit lumina Pisces.

Sic Gembl., neque aliter Voss.[1] et Lips. nisi quod ambo *inguicula*, Lips. a corr. *comaes*, Cus. *comas ī guicula*, Voss.[2] *Et gonas iugui onlaudes* habet. Hinc dudum emendarunt *Engonasin*. Quae secuntur nemo ante Thomasium feliciter temptauit. Hic enim sic correxit p. 12 *cui nulla fides sub origine constat*, 'i.e. de cuius origine nihil certi memoriae proditum est.' Sequitur Aratum Phaen. 63

τῆς δ' ἀγχοῦ μογέοντι κυλίνδεται ἀνδρὶ ἐοικὸς

εἴδωλον, τὸ μὲν οὔτις ἐπίσταται ἀμφαδὸν εἰπεῖν
οὐδ' ὅτινι κρέμαται κεῖνος πόνῳ, ἀλλά μιν αὔτως
Ἐγγόνασιν καλέουσι.

616 ὅντινα τοῦτον ἄϊστον ὑπουρανίων εἰδώλων . . . θηεύμεθα.

Sed etsi Thomasius sententiam bene perspexit, litterarum ductus non multum reliquit, propius mihi uidetur ab his abfuturus fuisse si pro *cui nulla* praetulisset *si huic ulla*. Nimirum litterae *si* propter praecedens *sin* exciderunt, *huic ulla* in *guicula* siue *guicola* mutatum est. Versum itaque sic refingo

Engonasin, si huic ulla fides sub origine constat,

quibus uerbis poeta dubitare se profitetur num ulla uera huius nominis constet etymologia.

V. 654–656 sic extant in Gembl.

Certa per extinctos ponit uestigia //// funes
Et caeli meditatus iter uestigia perdet
Et peneua et pendens porulum suspendit ab ipsa.

654 extentos *Regiom.* ponit *codices plerique* ponet *Regiom.* funes *etiam Lips. et Regiom.* fines *plerique.* 656 et peneua et pendens *Cus.* Et pene *** et pendens *Voss.*[1] torulum *Regiom. Neap.* ipsa *Cus.* ipso *Vossiani, b o* suspendet *o Regiom.*

Emendarunt *Et paene ut pendens* Scaliger, *Et perna pendens* Isaacus Vossius, *Paene sua et pendens* Bentleius, *Pone sua* Doruillius, *E penna et pendens* Iacobus; *Et pegma escendens* ego conieci. Nam corruptum illud *peneua* inusitatum uocabulum prodit. Mox *populum suspendet ab ipso* sc. tenebit suspensos a se ipso populi uultus iam diu editum est: nisi cui potius placebit *torulum*, quod dedit Regiomontanus, a 'festoon' 'fillet,' ut significetur uir cum pegma ascendit ibi in summo pegmate torulum, (siue hic est circumflexum quiddam uittae modo, siue est pilleolus, Rich *Companion to Latin Dictionary* p. 678) suspendere, quo se in summum enisum et propositi iam compotem esse ostendat:

Certa per extentos ponet uestigia funes
Et caeli meditatus iter uestigia perdet
Et pegma escendens populum suspendet ab ipso.

Notanda in his est iteratio *uestigia—uestigia;* credo tamen sic

profectam a Manilio, siue incuria, siue quod inperfectum opus reliquerit.

V. 659–661 sic extant in Gembl.

Hoc trahit in pelagi cedes et uulnera notos
Squamigeri gregis: extentis laqueare profundum
Retibus et pontum uinclis †armare furentem.

659 natos *b Bonincontrius* notos *cett.* 661 armare *codd. omnes* furentem *Lips. Voss.*[2] sequentem *Voss.*[1] *Cus. o Fort.* hamare.

Huetius *armare sequentem* sic interpretatus est. 'Cum piscatores rete trahunt, praecedunt ipsi, rete sequitur. Igitur mare his uinculis est uelut armatum ad piscium capturam: sequens autem appellatur καθ' ὑπαλλαγήν, ut intelligas retia; nisi dicere malis sequens dici, quod pars ea maris, quae armata est, sit pone piscatores.' Aliter Gronouius ad Plaut. Pers. i. 2. 22, *pontum armare* sic explicans 'retibus inductis infestum pontum reddere piscibus.' Artificiosius uterque; potestque uerum esse *artare* quod coni. Scaliger, receperunt Bentleius Marklandus et Iacobus, simul ut *furentem* praeferrent. At nullus hic locus furori maris, quem ne retibus quidem inclusi loci prohibent; itaque praefero *sequentem:* pontus enim catenis unde retia dependent circumclusus, sequitur sic cludentes, seque intra spatium id cohiberi patitur. Hae catenae siue *uincla* hamis uel uncis inter se conexae propterea pontum *hamare* dicuntur 'to link with chains the obedient sea.'

V. 668, 669 sic extant in Gembl.

†Totum cum toto iacuerunt litore praedae
Altera fit caedis caedes.

668 Totum *plerique* Totum quoque *Voss.*[2] Tum quoque *Bentl.* 669 sit *Cus.* cedis scedes *Voss.*[2] caedi caedes *Regiomontanus.*

Credo scripsisse Manilium *Altera fit caedi caedes*, h. e. post caedem altera caedes huius quasi appendix fit. Graecus hic usus datiui Soph. O. T. 174 ἄλλον δ' ἂν ἄλλῳ προσίδοις. Eur. Or. 1237 πήματα πήμασιν ἐξεύρῃ. Phoen. 1496 φόνῳ φόνος Οἰδιπόδα δόμον ὤλεσε. Vide Iebbium de his disserentem ad O. T. 174. Epigramma ap. Cramerum Anecd. Oxon. iv. 386 (Meinek. Analect.

Alexandr. p. 346), uu. 5, 6 Τοῦτο καὶ αὐτὸ καθ' αὑτὸ κακὸν μέγα σύμβολον ἄλλων Ἐστί· τόσον τούτῳ τῷ πυρὶ πῦρ ἕτερον (cod. συμβάλλειν Ἐστὶ τὸ σόν, quae correxi in Diar. Philol. Cantabr. vii. p. 259). In hoc ualde similia sunt τούτῳ τῷ πυρὶ πῦρ ἕτερον 'there is a second fire as great to complete this fire,' et *Altera fit caedi caedes* 'then ensues a second slaughter upon slaughter.' Sic Graeco magis quam Romano more dixit Manilius *terris Munera caelestum* I. 24, 25.

V. 671 sqq.

> Illa datis melior sucis, pars illa retentis.
> Hinc sanies pretiosa fluit floremque cruoris
> Euomit et mixto gustum sale temperat oris.
> Illa putris turbast: strages confunditur omnis
> Permiscetque suas alterna in damna figuras
> Communemque cibis usum sucumque ministrat.

672 florumque *Gembl.* cruoris al. coloris *o fortasse recte: sic ἄνθη dicuntur colores.* 673 mixto] guxto *Gembl.* 674 turbat *Gembl. Cus. ex* turbast, *ut reor, uitiatum.*

Huetius *datis* interpretatus est datis ex se siue profusis, ut exucca, siccata, et propemodum durata fieret, cum hic melandrya descripta censeret; contra partem alteram *sucis retentis* esse garum τὸ καλούμενον αἱμάτειον, in quo multum sanguinis thynni superesset. Mihi latius hic uidetur locutus poeta, hoc sensu, thynnos interdum adscitis aliunde saporibus praeferri, interdum retento suo. Nam ut ipse 669 scripsit *scinduntur in artus Corpora* (thynnorum) *et ex uno uarius describitur usus.* Et cur non uariarent usum nunc datis aliunde sucis, nunc seruato qui naturae fuit?

V. 681, 682 sic extant in Gembl.

> Vt morisque uolet saucia per mutua dote
> Et fluit in liquidas tabes resoluta medullas.

Vmorisque *uel* Humorisque *plerique* socia *plerique.*

Correxerat Scaliger *Umoresque uomet socia per mutua dote,* optime, ut mihi quidem uidetur, structura ablatiui et aliis frequentata et ipsi Manilio non abhorrente: tantum *uomit* scribendum erat. At Bentleius '*uomet humores socia dote.* Non

intelligo' praefatus 'Repone' ait '*Humorisque uomit socias per mutua dotes.*' Itaque nihil reliquit quod Manilii esset, fecit omnia Bentleii. Nam si Manilius scripsit *umoris* (siue *umores*) *uomit socia* (h. e. sociata) *per mutua dote*, Bentleius *umoris u. socias per m. dotes* reposuit, tota orationis sublata proprietate, non iam Maniliana facta est sed multo uerius Bentleiana.

V. 685–687

De salinis arte factis dicens Manilius haec habet

Cum solidum certo distendunt margine campum
Adpelluntque suo deductum ex aequore fluctum
Claudendoque † negant.

685 distendant *Gembl.* 686 Ad bellumque *Gembl. et ceteri. Correxit Scaliger.*

Fortasse *necant*, siue perimunt naturam maris dum sic includitur.

V. 706, 707

Ille elephanta premet dorso stimulisque monebit
Turpiter in tanto cedentem pondere † cunctis.

monebit *Voss.*[2] mouebit *Gembl. Voss.*[1] *quod retinebat Doruillius ob magnam elephanti molem.*

'Lego *punctis* quod respondet τῷ *stimulis* uersus superioris,' Huetius, optime et me iudice et Doruillio ad Charit. p. 591. Quid Bentleius? 'Vidit absurdum Huetius, et substituit *punctis*. Atqui iam dixerat auctor *stimulis monebit*. Neque *turpiter* cedit stimulis, sed sapienter. Repone *Turpiter in tanto* scandentem *pondere* funes.' Quid Iacobus? Huetii coniecturam edidit, Huetii nullam mentionem fecit, 'Ego correxi' adnotauit.

V. 717–719 sic extant in Gembl.

Tum quartum quintumque genus discernitur omnē
E numero summaque gradus qui iungitur angue
Maxima per minimos censu concluditur imo.

717 omne *Cus. et plerique.* 718 *sic Cus.* 719 uno *Cus.*

Puto sic refingendos esse hos uu.

Tum quartum quintumque genus discernitur omni
E numero, summamque gradus qui uincit utramque,
Maxima pars minimos censu concludit et imos.

omni Scal. *summamque utramque* Bentleius *uincit* ego: nam gradus qui et quartum et quintum genus *uincit* siue egreditur, sextus est. Dein maxima pars siue septima concludit minimos eosdemque imos ignes siderum. *pars* Bentl. *minimos c. concludit et imos* ego.

V. 740, 741

Sunt stellae procerum similes, sunt proxima primis
Sidera, suntque gradus atque omnia uicta priorum.

uicta nihil est nisi *ficta.* Sunt gradus siderum atque omnia quae ficta sunt ad priores a posterioribus discernendum. Stellae enim tot habent magnitudines quot in hominibus gradus sunt dignitatum. Sic *uouet* pro *fouet o* II. 445, *uicta* pro *ficta* idem codex IV. 264, *uouetur* pro *fouetur* V. 245: *confecta* pro *conuecta* Cusanus V. 378. Paene ad uerbum Miltonus Sams. Agon. 1608 *all the lords and each degree Of sort.*

EPIMETRVM.

De editione Manilii Romana anni 1510, et de coniecturis quas in ea manus ut uidetur saeculi xvi adscripsit in margine paginarum libri II.

Hunc librum, qui olim Ingrami Bywater fuerat, bibliopola Oxoniensis cum mihi anno 1889 uendidisset, intellexi adscripta quaedam habere in ora libri secundi quae partim Scaliger, partim Bentleius, sed ut uidetur posterius, diuinassent: praeterea nonnulla quae apud hos quidem non comparerent, essent tamen alicuius pretii. Haec omnia sic ut sunt in libro edere constitui.

Initio libri haec impressa sunt

MARCI MANILII ASTRONOMI/
CON AD CAESAREM AVGV/
STVM NOVITER AC DI
LIGENTISSIME EMEN
DATVM

Haec in fine

Marci Manilii mathematici Astronomicon finit felici
ter. Impressum Romae per magistrum Iacobum
Mazochiū Ro. achademiæ Bibliopolam
Anno salutis M.D.X. Regnāte diuo
Iulio Secundo Pont. Max.
Anno eius
VII

Ad u. 211 in sinistra

agittarius
eo
ries
isces
âcer
corpius

Abscissae sunt literae initiales quo tempore liber accepto nouo tegumento circumcidendus erat. Quod tegumentum cum ne ipsum quidem multo post finem saeculi xvii (1600 A.D.) accesserit, notae illae adscriptae inter annos 1510 et 1600 colliguntur fuisse.

ad 287] AD QUAE DIUERSA — AT QUEDĀ DIUISA
diuisa *codd.*

ad 295] QUADRATE fingere — QUADRATA
quadrata Gembl. et Vossiani

ad 298] Diuisum ‸ signis — ‸aut
ut Scaliger

ad 300] ORTUS — ACTUS

ad 308] UICINÆ — UICENE

ad 313] duo sint ‸ haec ⱥ dirimentibus — tribus
ternis dirimentibus Bentl.

ad 314] EXTREMUM — EX TREMĀ

ad 319] SERUENT — SERVĀT

ad 361] FORMANTUR — LĪQUUNTUR

ad 365] QUA te capricorne — DIN

ad 368] locus: & per transita signa — EST

ad 372] inclinant: AC NE — ACIEM
aciem Bentleius, et ita scriptum extare in uetere editione bibliothecae Regiae Societatis ipse testatus est.

ad 374] CONUERSO — CŌUEXO

ad 379] sed tamen est illis PHOEBUS sub lege propinquus (i supra scriptum) — FEDUS
foedus Scaliger, *propinquis* nescio an alibi inueniatur.

ad 382] Fœminei SE CONIUNGUNT — SECUM
secum Bentl.

ad 383] ALTERIUS PATET — ALTERNIS PAR EST

ad 386] Gratia. NAM consensus habet — NON

ad 387] IN SE CUNCTA — INSEDUCTA
In se ducta codices omnes Iacobi.

ad 391] numerantur CŌMODA — SYDERA
Notandum quod *sydera* adscripsit, non *sidera*.

ad 412] Et genere EXEMPLIS — & TEMPLIS

ad 413] Mascula si PARIBUS MARIBUS

Mascula quod maribus Bentleius.

ad 424] AT non lanigeri · IAM

ad 427] Sed ratione pari EST ÆQUALIS nocte diebus SŪT ÆQUA

ad 430] UTRUUQUE correctum in UTRŪQUE.

ad 432] diuersis ADDITA signis ædita

ad 437] UARIOS sacro sub numine MORES UARIAS UITES

uires Gembl. et plerique *mores* (ui supra scriptum) codex Collegii Corporis Christi.

ad 438] Pondus UT IN rebus UTI

uti Gembl. et plerique. Reduxit id Scaliger.

ad 440] CYLLENIUS cancrum CYLLENIE

ad 445] Atque ANGUSTA fouet Capricorni sidera AUGUSTA

Notabile hoc est: nam sub Capricorno natus est Augustus, ut ipse testis est Manilius II. 507–9 *Capricornus in ipsum Conuertit uisus: quid enim mirabitur ille Maius in Augusti felix cum fulserit ortum?*

ad 450] Argumenta PETES correctum in PETĒS (PETENS)

ad 454] in propriis PARENTIA SIGNA FIGURIS PERAGĒTIA SIDERA MERI

(fuerat MEMBRIS)

ad 470] FURORE FAUORE

ad 520] Quin aduersa QUEANT MEĀT

meant Scaliger ex Gembl. reuocauit.

ad 530] Idcirco cedunt pecudes QUIS uiribus amplis QUOD

ad 535] NASCENTIBUS libræ NASCIENTI

ad 542] Et libra GEMINI PISCES QUOS PROTULIT UNDA

In marg. ET GEMINIS SIMUL & QUOS PROTULIT URNA

ad 543] In PARTIS tauri PARTUS

partus Gronouius et Bentleius.

ad 545] ATQUE HOS AT

at quos Scaliger.

ad 547] In Cancro GENITOR GENITOS

ad 565] Ad pugnam ueniens AGIT totumque trigonum AGITAT

ad 567] PISCES exortus PISCIBUS

ad 576] Tertia quæque illis UTRIUSQUE trigona feruntur UTRISQUE
ad 577] PHŒBUS FEDUS
foedus Scaliger.
ad 584] leuis una fuit per sæcula MORTIS MORIS (? AMORIS)
ad 587] SPONSO SPONSOR
ad 588] REUM REUS
ad 593] QUAMQUE onus inuidiæ QUĀ TŪ
Ad uu. 583–594 manus adpicta est subrufi coloris et super hanc scriptum *Nota*. Itali alicuius uidetur esse.
ad 598] Insidiasque FORI cædes in mœnibus ipsis FORIS
Nusquam alibi *foris* repperi: uidetur tamen uerum esse.
ad 604] PARS & sublata per orbem PAX
pax *Scaliger*.
uu. 642–645 atramento circumclusi sunt, adscriptumque in laeua ora *Va*, in dextra *cat̃*. Idem factum est uu. 649–651, 963–965 *Hinc modo – Quaeque illic – Distat enim – Efficiunt uires – Regna et in extremis – Haec mihi sub certa*, quos sic coniunctos habet editio.
ad 719] adscriptum est in laeua ora paginae *In uno q°q3 signo īsunt omnia sig*
ad 726] QUOCUNQUE IMPARTU QUĀCUNQUE Ī PARTEM
ad 731] pariter SENTENTIA DUCIT pariterQUE SEQUENTIA DUCŪT
sic post correxit locum Bentleius.

ad 735] In qua DESTITUENT DESTITUET
ad 739] minor est QUOD PARTIBUS ipsis Ī FRONTIBUS
ad 740] DUODECATEMORII NOSSE SATIS NŌ Ē.
ad 744] CURA IURA

Ex his minoris sunt quae cum Scaligeri coniecturis consentiunt: non enim magni ingenii erat *Phebus* in *fedus*, *et* in *est*, *ut in* in *uti*, *Cyllenius* in *Cyllenie*, *queant* in *meant*, *atque hos* in *at quos* refingere. Sed alia miror Bentleii antecessisse diuinationem, *tribus haec* Italus, *ternis* Bentl., *aciem* pro *ac ne*, *secum iungunt* pro *se coniungunt*, *maribus* pro *paribus*, *partus* (sic Gronouius et Bentl.) pro *partis*, *reus* pro *reum*, *pariterque sequentia* pro *pariter sententia*, *quantum* pro *quamque*.

Alia nescio an apud ullum sis inuenturus, *din* pro *qua*, *et templis* pro *exemplis*, *augusta* pro *angusta*, *petens* pro *petes*, *peragentia sidera membris* pro *parentia signa figuris*, *et geminis simul et quos protulit urna* pro *gemini pisces quos protulit unda*, *utrisque* pro *utriusque*, *foris* pro *fori*, *in frontibus ipsis Nosse satis non est* pro *quod partibus ipsis Dodecatemorii*. Hoc ultimum certe quam prope a traditis codicum litteris, tam longe a sono abest litterarum: ut quiuis intelligat aut ex codice dissimili nostrorum aut ex singulari diuinandi ubertate prouenisse. Iam illud *foris* nonne omnes numeros habet probabilitatis? Quid sunt enim insidiae fori? Aperte opponuntur inter se fraudes foris, caedes domi atque in moenibus ipsis Romae. Amat hoc antitheton Cicero ut ex Handii Tursellino apparet ii. p. 708. De Off. i. 22. 76 *parui enim sunt foris arma, nisi est consilium domi*. Rosc. Am. xlvii. 136 *domi dignitas, foris auctoritas*. Iustin. xxvi. 5 *foris inuictos, domi fragiles esse*.

Sed cum mirarer tam bonae frugis inuenta tam prorsus nesciri cuius essent, contuli me ad peritos scribendi generum et chirographorum. Hi non omnes idem iudicabant: nam Macraius, Madanus, Nicholso ante annum 1550 scripta ea pronuntiabant, E. M. Thomso potuisse circa 1550 scribi, Warnerus non ante 1550 opinabantur: denique Iacobus Parker potuisse quidem circa 1550 scribi, eam tamen esse uniuersam speciem scripturae quae serior anno 1600 uideretur. Ne illud quidem constabat, omnia eiusdemne manus essent. Hoc igitur in incerto relinquendum erit: tantum dico mihi et primum conspecta et saepius considerata semper eius saeculi uisa esse quod renascentium in Italia litterarum nominatum est. Nam litterarum figura, quanquam non semper eadem, in uniuersum tamen prope accedit ad eam quae ab anno usque 1480 inualuit: exempla inuenies in fine libri omnis doctrinae uberrimi Petri de Nolhac '*La Bibliothèque de Fulvio Orsini*,' inter quae Bernardi Bembi, Angeli Politiani, A. Colucii: quorum omnium habent adnotata ista quod simile sit: praecipue autem ad id saeculum redeunt compendia scripturae. Et Macraius quidem, cuius iudicio in hac crisi plurimum defero, iterum a me rogatus

ut librum inspiceret, eandem quam prius sententiam etiam expressius significauit, postquam domi eum et circumspectius recognouerat. Hic quae censuit non inutile duco ex epistula eius proferre; res enim non leuis uisa est, cum in adnotatis istis anticipata essent quae summi uiri Scaliger et Bentleius primi diuinasse creduntur. Sic igitur Macraius: (1) omnia ab eadem manu scripta esse (2) circa 1550 (3) ab Italo (4) inuolucrum, quo liber cinctus sit, eius formae esse quo Itali ab anno usque 1580 usi sint; ex titulo autem, qui huic inuolucro additus sit, quae paucae supersint litterae ASTR, eas tales esse quales in libris eius saeculi (circa 1600) non raro inueniantur[1].

[1] Hoc epimetrum iam publicaui in *Commentationibus Woelfflinianis*, quae primis diebus huius anni ex aedibus Teubneri prodierunt.

